www.e-rara.ch

# Episcopatus Wirceburgensis Sub Metropoli Moguntina Chronologice et diplomatice illustratus

## Ussermann, Aemilian

## Sankt Blasien, 1794


## Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Re 225


Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-53867

Prolegomena seu dissertationes praeviae [...].


**www.e-rara.ch**
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d’imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L’éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l’imprimerie jusqu’au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# PROLEGOMENA
SEU
## DISSERTATIONES PRÆVIÆ
IN HISTORIAM
## EPISCOPATUS WIRCEBURGENSIS,
QUIBUS ANTIQUUS STATUS
FRANCIÆ ORIENTALIS
USQUE AD
DIŒCESIS ERECTIONEM
EXPENDITUR.

## DISSERTATIO I.
### *De Franciæ Orientalis ſtatu et ducibus tempore S. Kiliani.*
### ARGUMENTA.

I. Antiquus provinciæ ſtatus. II. Primi eius duces, Radulſus; III. Hetanus ſenior; IV. S. Bilihildis eius uxor, V. Huius educatio et matrimonium. VI. Hetani ſenioris coniuges, liberi ac VII. Fata. VIII. Gozbertus dux, eiusque frater, ac IX. Geſta. X. An duo Gozberti. XI. Hetanus ſeu Hedenus iunior dux. XII. Monaſterium meditatur. XIII. Fata eius incerta. XIV. Irmina ſeu Immina eius filia.

I. Animus nobis haud eſt, intricatas adeo gentis *Francorum* origines disquirere, quod Geographorum eſto. Illam duntaxat Francorum ſedem hic expendimus, quæ olim *Orientalis Francia*, poſtea breviori vocabulo *Franconia* nuncupata eſt. Hæc olim *Thuringiæ* adnumerata, qua parte nimirum a *Mœno* usque ad *Danubium* protendebatur, *Francorum occidentalium* regibus paruit, ex quo *Thuringia* a *Theoderico* I. Auſtraſiorum rege a. 530. capto et devicto *Hermenfrido* rege ſuo ultimo in poteſtatem redacta eſt *a*), cui dein proprios duces præfecerunt, quorum tamen nomina hiſtoria non prodidit.

*a*) Greg. Tur. hiſt. Franc. L. III. c. 7. et 8.

II. Primus, cuius nomen adnotatur, *Thuringorum* dux occurrit RADULPHUS filius *Chamari*, forte etiam ducis, a *Dagoberto* I. Auſtraſiæ rege inſtitutus, qui ſæpius cum exercitu *Winidorum* acie congreſsus illos tandem devictos penitus in fugam egit. Exinde autem ſuperbia elatus contra *Sigebertum* II. pariter Auſtraſiorum regem rebellare cœpit *a*), ac pace anno 640. reſtituta regiam quaſi poteſtatem ſibi in his terris uſurpavit, incertum, quo anno defunctus. Porro ex affinitate nominum *Radulfi* ſeu *Ruodolfi* profluxiſse decurtata exinde nomina *Rudo*, *Ruodo* vel *Ruodi* coniicit Eccardus *b*), huncque eumdem fuiſse exiſtimat, qui in Actis S. Kiliani *c*) appellatur *Rhuodi*, pater *Hetanis* ſenioris, cuius filius erat *Gozbertus* dux Auſtralium partium, ubi erat caſtellum *Wirziburch* ſeu *Virteburh*, de cuius nomine alii operoſe disquirunt. Et certe nullus alius eo tempore harum regionum dux reperitur, præter *Radulfum* Thuringiæ mox memoratum ducem. Obſtare vero hic videtur, quod in actis iam citatis *Gozbertus* dux *Radulfi* nepos et omnis ſubiectus ſibi populus *adhuc paganico more* vixiſse referantur, *idola dæmonum colentes*, *Deum vero cœli et terræ minime agnoſcentes*. Quin et *Hetanum* eius patrem ac *Radulfi* ſeu *Ruodi* filium fuiſse ethnicum, paullo poſt dicenda monſtrabunt: quidni et ipse *Radulfus* dux talis fuerit? Aſt a *Dagoberto* religionis Chriſtianæ ſtudioſiſsimo ducem paganum genti Thuringorum fuiſse datum vero parum ſimile eſt. Senſit hoc qualecumque obſtaculum idem Eccardus, unde *d*) ſubdit: Radulfum *ducem Chriſtianum quidem fuiſse ſuſpiceris*, *quum a* Dagoberto *dux inſtitueretur*. Quæ autem addit: *ſed ut ſuis adhuc ethnicismo addictis placeret*, *ſacra deinde chriſtiana dereliquiſse*, haud ſatis firma arbitramur. *Samonis* quidem Franci hoc tempore *Winidis* imperitantis exemplum allegat, qui fide Chriſti eiurata Slavico gentili ritu vixit *e*). Sed diſpar hic ratio eſt; *Samo* enim a libero gentili populo rex electus ſui iuris erat, *Radulfus* vero a Chriſtiano rege populo ſibi ſubiecto dux conſtitutus, non inulte principis ſui religionem deſerere poterat. Videntur igitur Francorum reges primæ ſtirpis, etſi chriſtiani, ſubiectis ſibi infidelium provinciis ſui ritus duces ac præfectos permiſiſse, donec ſucceſsive Chriſti præconum labore ad Chriſtiana ſacra traducerentur, quod utique in Saxonia et Thuringia maioris molis erat, ut aliunde ex hiſtoria conſtat.

III. *Radulfo* ſeu *Ruodo* poſt annum 640. in Thuringiæ ducatu ſucceſsit filius HETANES, HETANUS ſeu ETTANUS *ſenior* in citatis actis dictus, ob alium cognominem ſuum ex filio nepotem, *Hetanum* ſeu *Hedenum* iuniorem appellatum. Is innoteſcit potiſsimum ex vita S. *Bilihildis* ſecundæ eius coniugis, cuius triplicem vitæ narrationem ex variis Manuſcriptis producit Groppius *f*), quamvis primum circa ſec. XI. ſcriptam. Eius brevem hic ſynopſin damus, a mendis chronologicis, quantum licuit, repurgatam. Agit de illa etiam Surius *g*) et Serarius *h*), ſed hic ex longe poſteriore vitæ ſcriptore et magis intricato nec antiquiori conſentaneo. Quæ vero ibi habentur de illius poſtea ad Moguntiam ſeceſsu, et monaſterii ibidem fundatione, nihil interim ad res noſtras faciunt.

IV. *Clodoveo regnante filio Hilderici* (quem Surius omittit) *fuit vir venerabilis Iberius* (al. Iberimus) *nomine in Orientali Francia* (poſterioris ævi nomenclatura) *unacum Mechtilde* (Mechtridam alii vocant) *connubio ſibi legitimo copulata . . . Habitabant autem in loco dicto*

*a*) Fredegar. chron. c. 77. et 87.
*b*) Franc. Or. T. I. p. 213. ſeq.
*c*) Bolland. T. II. Iul. p. 613.
*d*) Franc. Or. l. c. p. 214.
*e*) Fredegar. chron. c. 48.
*f*) Script. Wirceb. T. I. p. 767, 788. et 791.
*g*) Act. SS. d. 27. Nov.
*h*) Rer. Mogunt. L. II. c. 30. et 31.

Hochheim *ſito iuxta fluvium Mogum, quem cum aliis villis et prædiis non paucis proprietatis iure poſſidebant. Tanta enim potentiæ vi et opum cumulo præeminebant, quod in gente ſua magni nominis titulum habebant.* Hochhemium haud procul *Wirceburgo*, nunc a S. Vito patrono *Veits-Hochheim* appellatur, hodieque caſtro epiſcopali insigne. Cuncta hæc tamen, ſi vera ſint, poſteriora Clodoveo I. tempora produnt. Id autem communi fere medii ævi ſcriptorum vitio factum eſſe cenſemus, qui plerumque quaſcunque narrationes ſuas ab eiusdem Clodovei I. nominatiſſimi Francorum regis ætate auſpicati ſunt, nulla prorſus habita ratione chronologiæ, quæ tamen una genuinæ hiſtoriæ filum præbet. Neque hæc ad Clodovæum II. ſpectare poſſunt, qui Auſtraſiæ regnum nunquam tenuit, ſed potius ad eius fratrem Sigebertum II. ab anno 638. usque 656. Auſtraſiorum regem, ad quem utique pertinebat Thuringia et Orientalis Francia. Quin immo Eccardus *a*) *Sigebertum* hunc *Bilibildis* avunculum ſeu conſobrinum extitiſſe multis argumentis probat, exhibito etiam deſuper ſchemate genealogico. Ac forte hæc ipſa fuit cauſa, quod *Bilibildis* ſuo ex *Hetano* ſuſcepto filio *Sigeberti* nomen indiderit. Alii id in gratiam *Sigeberti* epiſcopi Moguntini, pariter *Bilibildis* avunculi factum volunt, quem Pantaleon *b*) circa annum 500. reponit, quo utique tempore nulli adhuc erant duces Francorum Orientalium, quorum uni ſeu *Hetano* nubere potuiſſet *Bilbildis*. Nec maiorem temporum rationem habet Serarius, qui *c*) id de *Richberto* Ep. intelligit, qui aliis *Sigebertus* dictus a. 712. ſit defunctus, ſed hæc *Hetanum iuniorem* iam cum populo ſuo chriſtianum reſpicerent, quod mox dicendis repugnat.

V. His itaque *Bilbildis* parentibus, ut pergit vitæ ſcriptor, *pro argumento latriæ et conſtantiæ firmæ fidei adſcribendum eſt, quod omnipotentem Deum trinum et unum fideli invocatione et devoto cultu adorabant, maxime eo tempore, quo adhuc execrabilis gentilitas viguit, et innumerus Galliæ Germaniæque populus fanaticis ſimulacrorum ſuperſtitionibus et paleſtra theatrali occupatus creaturæ ſervivit, deſerto creatore.* Is nempe Thuringiæ et Franciæ ſtatus erat ante S. Kiliani ſociorumque eius adventum in has terras, ubi regnante licet adhuc paganiſmo nonnullæ tamen familiæ chriſtiana ſacra ſunt amplexæ, ſub novo præprimis Francorum iam chriſtianorum principum regimine. Quod quidem extra dubium foret, ſi, quod vult Eccardus *d*), *Ragnetrudis Dagoberto* I. regi nupta, ſoror fuiſſet *Iberii* patris S. *Bilibildis*, quæ eadem fere ſunt, num. præc. de *Sigeberto* II. rege eiusdem *Bilibildis* avunculo ſeu conſobrino memorata; quod vero quam ſolidum ſit, operoſius diſquirere noſtrum haud eſt.

Chriſtianis hisce parentibus præter *Hildegardem* et *Renibildem*, de quibus ſilet Surius, primo loco progenita quoque dicitur *Bilibildis*, quæ, ut habet noſter biographus, *quum adhuc in cunis baiularetur, ad urbem* (qualis tempore ſcriptoris iam erat, tunc autem caſtrum) *quæ vocatur Herbipolis* (en ſcriptorem ſeculi XI. quo primum hoc nomen pro *Wirzeburg* uſurpatum volunt) *tranſvecta, et ibi ex repentino incurſu Hunnorum, qui copioſo exercitu manuque valida regionem illam invaſerunt, morari ad tempus coacta eſt.* Hunnorum nomine hic procul dubio Winidi Slavi veniunt, qui ſub Samone rege ſuo *e*) ab a. 630. Thuringiam ſæpius hoſtili more depopulati ſunt, tamen a *Radulfo* duce *Hetani* patre circa a. 633. devicti et e provincia pulſi. Sed ſeculi XI. ſcriptori nonniſi *Hunni* obverſabantur, circa ea tempora maxime noti.

*a*) Franc. Or. T. I. p. 197, 225. *b*) P. I. de viris illuſtr. p. 176. *c*) Rer. Mog. L. II. c. 19.
*d*) Franc. Or. T. I. p. 198. *e*) Fredegar. chron. c. 68.

Atque ad hæc tempora ſpectare videntur, quæ porro in citata S. *Bilihildis* historia adduntur: *catechumena ibidem* (*Wirceburgi* nimirum, ubi adeo iam tum Christiana fides innotuerat) *effecta* Bilihildis, *qua præpediente causa ignoratur*, *baptismi donum non attigit*, nec igitur tunc eius ætatis erat, ut usu rationis polleret, alioquin necdum ſuscepti baptismi haud ignara, maxime quum parvo tempore Wirceburgi commorata videatur, ſequitur enim: *post temporis nempe intervallum, quo hostium multitudo abhinc discesserat*, *cunctis ad pacem reformatis*, *ad proprii domicilii mansionem*, Hohemium ſcilicet ad parentes *reducitur*. Hæc igitur annum Christi 633. circiter prodirent, adeoque *Bilihildis* ortus circa annum 628. reponendus foret, utpote adhuc in cunis in dicta irruptione existentis.

Maiorem hic difficultatem nectit eiusdem Sanctæ vita metrica, in qua hæc ſub Hunnorum incursione *Wirceburgum* ceu munitum castrum ſecuritatis gratia deducta fuisse memoratur a *cognata ſua Cunigunda ducissa*, quæ partu puerorum ſeu liberis caruerit. Operam et tempus perderet, qui de hac ducissa disquirere ulterius vellet, quam nulli ſcriptores aut alia monimenta produnt. Qui enim illam *Radulfi* ſeu *Ruodi* coniugem dicunt, in eo ſaltem falluntur, quod eam improlem fuisse ſtatuant, nisi forte *Hetanus* filius ex alia coniuge natus ſit. Nec minore difficultate laborat Eccardi coniectura, qui *a*) *Cunigundam* illam haud aliam fuisse arbitratur, quam *Sigeberti* II. regis Austrasiæ coniugem *Immechildem*, quæ ideo quoque idem nomen indiderit filiæ ſuæ dein *Childerico* II. regi nuptæ. Verum præter nomen, obstat quoque *Dagobertus* II. postea rex, qui matrem ſuam utique improlem haud fuisse prodit. Sed hæc genealogi disquirant.

VI. *Hetano* ſeniori ante ductam *Bilihildem* aliam fuisse coniugem, matrem ſcilicet *Gozberti* eiusque fratris, tota ſeries historica ex utraque S. Kiliani et Bilihildis vita prodit. Ex prima enim constat, *Gozbertum* ducem *Hetani* ſenioris filium fratris ſui viduæ matrimonio fuisse iunctum. Ex altera vero certum est, *Bilihildem Hetano* nonnisi unicum filium genuisse *Sigebertum* nomine, qui tamen paucos post annos obiit. De posteriore hoc coniugio ista narrat vitæ ſcriptor: *Erat in eiusdem regionis*, Franciæ nimirum Orientalis, *confinio dux quidam gentilis* Hethan, *miræ industriæ vir*, *bellicis præclarus factis*, *opum et rerum temporalium possessor copiosus*, qui audita fama elegantis formæ *Bilihildis* iam adolescentis eam a patre *Iberio* coniugem petiit: *cui quamvis pater invite consentiret propter religionis*, *quam habebant*, *disparem cultum*, *tamen tanti viri non audens reniti votis*, *quid faceret*, *dubius fuit*. Filiam vero eidem promisit, ac paullo post obiit, quo facto consentiente matre vidua nuptiæ fuere peractæ. Id quod ſpectata Bilihildis ætate vix ante annum 642. contingere potuit.

VII. Transacto iam nuptiarum tempore *Hetanus regio iussu in expeditionem iturus* ſponsam ſuam gravidam deserere coactus est. Rex iste alius haud fuit, quam *Sigebertus* II. Austrasiæ, cui parebat Thuringia: qui tamen nullum bellum gessisse legitur, nisi illud a. 639. contra *Radulfum* ducem ipsius *Hetani* patrem, cui filium interfuisse credibile haud est. Groppius in notis ad vitam Bilihildis id bellum Burgundicum fuisse ſuspicatur, quod teste Fredegario *b*) anno 641. inter Maiores-domus exarsit, quo etiam Neustrii involvebantur; unde factum arbitramur, ut *Sigebertus* a fratre *Clodoveo* Neustriis imperante in auxilium vocatus, *Hettanum* ducem cum

*a*) Franc. Or. T. I. p. 323. et 326. *b*) Chron. c. 89.

copiis illi ſubmitteret. Interea *Bilibildis* in avito ſuo prædio *Hochheim* remansit, donec accepto de morte mariti ſui, qui in dicta expeditione occubuit, nuntio, convasatis rebus Moguntiam se contulit, ubi filium ſuum Sigebertum peperit, ac postea ceu vidua arrepto vitæ religiosæ proposito *Altum* ſeu Antiquum Monasterium, vulgo *Altenmunster* condidit, cui ceu abbatissa præfuit, eique ſuas possessiones circa annum 652. transcripsit *a*), ubi etiam incerto anno die 27. Nov. decessit, qua hodieque Moguntiæ inter Sanctas colitur. Obitus autem eius mariti *Hettani* ducis circa a. 643. consignandus videtur. Quid porro Mabillonium induxerit, ut Bilihildem *b*) ad a. 734. reponat, haud assequimur; refragante ſiquidem omni temporum ratione.

VIII. Quis *Hettano* proxime in ducatu ſuccesserit, certo definire haud licet. GOZBERTUM eius filium tempore S. Kiliani a. 687. præfuisse, ex eius actis certum est; ſed a quo tempore? hic hæret aqua. Si Egilwardo alterius vitæ ſcriptori ſeu verius interpolatori fides foret, GOZBERTUS primum circa annum 687. eam dignitatem obtinuisset. Kilianus enim Roma reversus, *ad prædictum oppidum* (Wirceburg tunc adhuc castrum) *Orientalis Franciæ, non eum, quem in eadem provincia ducem reliquerat, invenit, ſed alium nomine Gozbertum.* Anonymus iste dux alius haud fuisset, nisi GOZBERTI frater, cuius ille uxorem acceperat *Geilanam, quæ iuxta gentilitatis ritum quondam fratris ipsius coniugio fuerat copulata*, ut habet altera vita. Inde vero prioris asserti falsitas eruitur, ſi enim frater GOZBERTI tunc primum obiisset, alterutrum ſequeretur, quod aut viventis adhuc fratris uxorem tulisset, quod utique non ſerebat gentilitatis ritus, nec permisisset dux eius frater; aut ſi id illo primum circa a. 687. defuncto factum fuisset; vetulam iam viduam duxisset GOZBERTUS, quum utique hac ratione anonymus ille frater a morte *Hettani* patris usque ad dictum annum ultra quadraginta annos ducatum tenuisset. Diu igitur iam antea obierit iste frater necesse est, cuius viduam in matrimonio habebat GOZBERTUS, matrem *Hetani* iunioris, qui a. 687. iam nubilis aut omnino nuptus esse debuit, quum, ut videbimus, eius filius *Thuringus* a. 704. in ea iam ætate fuerit, ut donationem patris ſui firmare potuerit: quo ipso evanescit quæstio a Cointio agitata, num GOZBERTUS incestas has nuptias ante vel post baptismum inierit. Equidem cunctis his aliisque enarrandis difficultatibus complanandis planior via foret, ſi cum Callesio *c*) diceremus, *Geilanam* hanc anonymi fratris non viduam fuisse, ſed filiam, adeoque GOZBERTI neptem; ſic enim nihil prorsus obstaret, quominus GOZBERTUS ſive *Hetano* patri ſive fratri in ducatu ſuccedere, et defuncta prima uxore *Hetani* iunioris matre, fratris ſui filiam in coniugem assumere potuerit, utpote ætate adhuc florentem et irretiendo ſeniculo iam GOZBERTO ſatis adhuc aptam. Id vero assertum Callesio forte ex oscitantia elapso contra actorum S. Kiliani et ſcriptorum fidem, nec ullo alio testimonio roboratum adoptare necdum audemus. Illud interim certum est, quod S. Kilianus prima vice *Wirceburgum* advenerit, *regnante ibi eodem tempore quodam duce nomine* GOZBERTO, *filio* Hetanis *ſenioris, qui fuit filius* Hruodis, ut habent prima acta, et allata hucusque argumenta ostendunt.

Singulares hic ſunt Centuriatores Magdeburgenses, qui *d*) fratrem GOZBERTI ducis Osto-Francorum, a quo Kilianus interfectus est, *Troanum*, ſeu *Troandum* appellant, qui monasterium *Holtzkirchen* ad ſilvam Odonianam condiderit, dupliciter mentiti, partim quod mortem S. Kiliani GOZBERTO tribuant, partim quod insigni anachronismo *Troandum* hunc integro ſeculo posterio-

*a*) Eccard loc. cit. p. 221. ſeqq. *b*) Annal. T. II. p. 97. *c*) Annal. eccl. Germ. T. II. p. 102. *d*) Cent. VII. c. 6. p. 170.

rem ſtatuant, quum in præcepto Caroli M. quo dictum cœnobium Fuldæ a. 776. donat *a*) illud a *Troando* ædificatum et Carolo regi traditum dicatur. Aut num princeps paganus, qualis Gozberti frater fuit, monasterium conſtruxerit?

IX. Gozberto itaque duce S. *Kilianus* cum duobus ſociis Roma in castellum Wirzburg redux a. 687. primitus verbum Domini ibi prædicabat: *quibus auditis* Gozbertus *dux convocari eos ſecit ad se. Quum autem præsentati adessent, conſabulationem in invicem ſecerant* Kilianus *episcopus et præclarus dux* Gozbertus. *Non multo post tempore persuadebat illi devotus Domini pontifex* Kilianus, *Christianum fieri. Qui etiam Domino volente illius ſacris admonitionibus adquiescens baptizatus est ab illo*, idque cum multis aliis proximo die Resurrectionis Dominicæ, ut habent acta interpolata, *et confirmatus est omnis populus, qui ſub illius potestate erat.* Id vero de magna duntaxat populi parte esse accipiendum ultro patet. Quodsi dies collati baptismi non fallit, id nonnisi anno 688. d. 29. Mart. fieri potuit, uti in ſequente dissertatione probabimus, ubi etiam de *Geilana* Gozberti ducis uxore uberius dicendi locus erit, quam se dimissurum dux fidem *Kiliano* fecit, ut primum e bello adversus patriæ hostes ſuscipiendo reversus fuerit. Bellum hoc, in quod Gozbertus post baptismum profectus est, Eccardus illud fuisse arbitratur, quod *Pipinus* Austrasiæ dux a. 687. gessit contra *Theodoricum* Neustriæ regem eiusque Maioremdomus Bertharium, ut passim referunt Francorum annales: quod vero infra num. XXIV, uti et Gozberti ducis fata curatius nonnihil examinabimus.

X. Ordinatam hucusque, et, ni fallor, ſatis assertam ducum Thuringiæ ſeu Franconiæ ſeriem contra monumentorum fidem turbat Trithemius, ſeu quisquis auctor est libri *de Origine Francorum b*), qui totus quantus aut fabulis aut aliis erroribus refertus est, quos paucis recensere ac refellere iuvat. Ut vero nihil dicamus, de portentosa huius provinciæ ducum multitudine iam inde ab ineunte quinto ſeculo, nec *Radulfum* nec *Hetanum* ſeniorem in illorum ſerie ponit, ſed, quantum ad nostra tempora *Gosbertum* producit, qui patri ſuo *Clodoveo* duci a. 680. defuncto annis 26. ſuccesserit, anno 706. defunctus, *cuius anno ſexto*, ſeu 686, quod quidem recte se habet, *Conon papa S. Kilianum natione Scotum, professione monachum episcopum ordinavit, et misit eum in Franciam Orientalem ad evangelizandum fidem Christi. Biennio apud Herbipolim in prædicatione peracto unacum Colonato presbytero et Totbnano diacono ministris ſuis iussu Geilanæ uxoris ducis martyrizatus est anno Dom.* 688. Gosbertos duos tamen hic ſtatuit, quorum alter patri cognomini a. 706. usque ad annum 720. ſuccesserit. Huic demum *Hedanum* filium ſubstituit anno 740. defunctum, unica relicta filia Immina moniali. Quam male hæc quantum ad ducum ſeriem consarcinata ſint, iam dicta et post dicenda evincunt.

Trithemium quidem ſequutus, ſed longius aberrans Falckensteinius *c*) Gozbertum I. a. 696. gentilem obiisse comminiscitur, quod utique aperte actis S. Kiliani repugnat; cognominem autem eius filium ſeu Gozbertum II. Geilanæ maritum a S. Kiliano conversum a. 721. mortuum ſomniat. Pudet hæc viris eruditis indicare, ne dicam refellere. Non enim Gozberti, ſed *Hetani* ſenioris filium Geilanæ maritum a S. Kiliano baptizatum memorant eius acta, quæ constanter unum Gozbertum ducem testantur. Aut quis ſibi persuadeat, *Gozbertum* patrem adhuc gentilem

*a*) Schannat Trad. Fuld. n. 45. *b*) Ludewig Script. Wirceb. p. 1027. *c*) Antiq. Nordgav. T. IV. p. 3.

fuiſse permiſsurum, ut aut filius ſuus Chriſtianam fidem amplecteretur, aut S. Kilianus eam in ſuo ducatu diſſeminaret, ipso interim in infidelitate ſua permanente? Qua insuper ratione filius eius dux provinciæ dici potuiſſet vivente adhuc patre et rempublicam gubernante? Aut quid neceſſe est, absque omni fundamento et contra monumentorum fidem duos ſimul cognomines in una eademque provincia duces ſtatuere, maxime quum poſteriori, uti iam notavimus, locus nullus esse poſſit? *Hetano* iuniore eo tempore clavum tenente, quo *Gozbertus* II. præfuiſſe fingitur, uti mox ex documentis patebit. Tanti nempe refert, quo fonte bibatur.

XI. *Gozbertum* ducem, quocumque demum anno defunctum, excepit eius filius HETTANUS iunior, HEDANUS etiam ſeu HEDENUS dictus, qui in religione Chriſtiana probe inſtructus, eiusque propagandæ ſtudio accenſus, S. *Willibrordo* episcopo tunc in terras ſuas ad prædicandum evangelium adventanti, in Thuringia et Franconia plures curtes adſcripſit, *Arnstadium* ſcilicet, *Muhlenbergam*, et *Monhove*, quæ loca in Thuringia collocat Eccardus. Charta *a*) data est d. 1. Maii, anno X. Childeberti III. regis ſeu Chriſti 704. in *castello Virteburch* ſeu Wirzeburch, ubi ipse reſidebat, ſicuti et pater eius *Gozbertus*, uti ex actis S. Kiliani vidimus: unde HEDENUM tunc iam ducem fuiſſe discimus. Fallit ergo, ſaltem ex parte, chronicon Wirceburgense *b*): *Anno Domini 706. Gozberto a ſuis interfecto filius eius Hetanus in monte Wirzburch in honore B. virginis Mariæ primam eccleſiam conſtruxit, et dedicari fecit*; niſi forte annus ille tempus conſtructæ eccleſiæ, non autem interfecti *Gozberti* indicet. Notantur ibi etiam *Theodrada* coniux et *Thuringus* filius HEDENI ducis, uti et in altera a. 716. manifeſto indicio, falli eos, qui *Bilihildem*, quam *Hettano* ſeniori nuptam vidimus, noſtro iuniori coniugem adſcripſerunt.

XII. Idem *illuſter vir* HEDENUS *dux* S. Willibrordo episcopo donavit, quidquid bonorum circa *Hamulo* caſtellum ad fluvium Salam in pago *Salzenſi* ex paterna et materna poſſederat hereditate, ut ibi monaſterium conſtrueretur *c*). *Actum publice Hamulo caſtello, anno I. Chilperici regis*, Chriſti 716. *Hamulum* caſtellum cum ſuis pertinentiis HEDENI hereditaria poſſeſſio erat, quæ ſucceſſu temporis in ius regium devenit, ut patet ex præcepto Caroli M. a. 777. quo eccleſiæ Fuldenſi donat *res proprietatis* ſuæ *Hamalumburg* ſeu Hamulanburg *ſitum in pago Salecgavio ſuper fluvio Sala d*). De hoc pago *Salagewe*, *Salzgove*, ſeu *Salagowe* pluribus agit Beſſelius *e*). Hodie est oppidum *Hamelburg* in territorio et diœceſi Fuldenſi.

XIII. In ſolo tamen hæſit idem monaſterium, forte ne inceptum quidem, niſi forte id de *Carleburgo* antiquo cœnobio intelligendum, de quo infra N. XXXIII. dicemus, quodve *Carolomannus* dux circa ann. 741. eccleſiæ Wirceburgenſi donavit, uti et *in pago Salegeu in villa Hamelenburg baſilicam in honore S. Martini f*), forte a S. Willibrordo exſtructam poſt præmaturam mortem HEDENI ducis, qui monaſterium ibidem meditabatur, mortuo fundatore intermiſſum. Nulla certe poſt annum 716. vel ipſius vel Thuringi eius filii mentio alicubi occurrit, ne quidem in actis S. Bonifacii, qui paullo poſt in Thuringiam venit. Unde haud male coniicit Eccardus *g*), HEDENUM cum filio a partibus *Caroli Martelli* Auſtraſiæ ducis ſtetiſſe, et in prælio Vinciacenſi contra *Chilpericum* regem a. 717. occubuiſſe, utpote in quo omnis fere nobilitas

*a*) Cod. probat. Num. I. *b*) Eccard loc. cit. p. 816. *c*) Cod. probat. Num. II.
*d*) Schannat. Trad. Fuld. p. 27. n. 51. *e*) Chron. Gottwic. p. 755. *f*) Cod. probat. Num. IX.
*g*) Loc. cit. p. 325.

Francica periit. Unde etiam ne quidem alius harum regionum dux poſthac occurrit, areſcente penitus cum HEDENO prima Franconiæ ducum ſtirpe. Quæ porro exinde conſecuta ſint, ſequens diſſertatio declarabit.

XIV. Supererat adhuc unicus nobiliſſimæ huius proſapiæ ſurculus, *Irmina* ſeu *Immina Hetani* iunioris filia, virgo Deo devota, quæ in monte S. Mariæ ſeu caſtro Wirceburg ex paterna hereditate accepto apud eccleſiam a patre ſuo ibi ædificatam *continentiſſimam cum pleriſque voti eiusdem feminis degebat vitam*, ut ſcribit Egilwardus in vita S. Burchardi primi Wirceburgenſis episcopi L. 2. c. 4. *a*). Hæc ab eodem S. antiſtite cœnobium in caſtello *Carlburg* nuper eccleſiæ Wirceburgenſi a *Carolomanno* principe donatum ad habitandum expetiit, ac viciſſim paternam ſuam hereditatem in monte S. Mariæ Wirceburgi eidem in perpetuam proprietatem obtulit. *Beatus* enim *Burchardus*, ut pergit Egilwardus, *nactus eam optionem*, *id quod rogabatur*, *voluntarie conceſſit*, *multaque diligentia rataque adſtipulatione coram regni principibus et maxime Francis Orientalibus confirmavit eidem*, *ut venerabilis* Immina *Carelburg cum omnibus illo pertinentibus prædiis in beneficium usque ad vitæ ſuæ terminum poſſideret: mons vero Wirceburg cum ſuis appendiciis*, *id eſt*, *prædiis*, *redditibus et terminis*, *omnimodisque utilitatibus perpetua proprietate Wirceburgenſi epiſcopio ſubiaceret.* Atque hic hodieque eſt arx epiſcopalis, mons S. Mariæ dictus, veterum Franconiæ ducum reſidentia celebris. *Immina* igitur *Carlburgum* ſecedens in reſtituto ibi parthenone cum aliis ſodalibus virginibus Deo usque ad finem vitæ fideliter deſervíit monialium abbatiſſa, ubi etiam pie defuncta a S. Burchardo epiſcopo in templo Dei genitricis a S. Gertrude olim conſtructo iuxta altare verſus aquilonem honorifice ſepulta memoratur. Id igitur ante annum 753. Burchardi emortualem fieri debuit *b*). Quum vero *Immina* cœnobium illud *Carlburgenſe* ſeu *Carlſtadienſe* tantum ad dies vitæ poſſederit, illud poſt eius obitum ad eccleſiam Wirceburgenſem, ac demum omnino ceſſaſſe videtur. Plura de eo habentur infra P. III. Sect. II. Cap. I. N. XX. Sufficiunt hæc ad refellendum alterum Falckenſteinii errorem, qui *c*) *Arminiam* ſeu *Imminam Hetani* ducis filiam, ex dictis virginem abbatiſſam, *Megingaudi* comitis Rotemburgenſis coniugem facit, cuius etiam ducis obitum ad annum 740. contra hucusque aſſerta et demonſtrata differt egregius hic antiquitatum illuſtrator, aut ſi mavis deſtructor.

*a*) Mabill. Act. SS. Sec. III. P. I. p. 706. *b*) Vid. Mabill. Annal. T. II. p. 150. *c*) Antiq. Nordg. T. IV. p. 4.

# DISSERTATIO II.

*De prædicatione et martyrio S. Kiliani, ac religionis Chriſtianæ ſtatu in Franconia usque ad tempora S. Bonifacii.*

## ARGUMENTA.

XV. Vitæ S. Kiliani ſcriptores. XVI. Eius nomen et patria. XVII. Geſta in patria. XVIII. Socii et adventus in Germaniam. XIX. Kilianus Wirceburgi et Romæ. XX. Epocha prædicationis in Franconia. XXI. Ducis et gentis converſio. XXII. De nuptiis Gozberti ducis. XXIII. S. Kiliani martyrium eiusque Reliquiarum elevatio et tranſlatio. XXIV. Martyrii tempus. XXV. Parricidarum pœna. XXVI. An ea etiam Gozbertus ſit involutus, XXVII. Aut Hetanus filius eius. XXVIII. Religionis ſtatus poſt horum ducum obitum. XXIX. Quis Theobaldus dux? XXX. S. Kilianus Franconiæ Apoſtolus; XXXI. non autem primus Wirceburgenſis epiſcopus.

XV. S. *Kiliani* ceu primi Franciæ Orientalis apoſtoli geſta ac vitam varii ſcriptores litteris consignarunt, plerique tamen anonymi et longius a Sancti temporibus remoti. Primam edidit Surius *a*), ſed pro more ſuo non integram, et mutato ſtilo alteratam. Hanc poſtea Nicolaus Serarius denuo vulgavit cum variis obſervationibus hiſtoricis et dogmaticis, quam Ludewigius ſcriptoribus Wirceburgenſibus *b*) inſeruit. Illam vero Henr. Caniſius ex melioris notæ codicibus integram dedit in ſuis lectionibus variantibus *c*), et Bollandiani *d*), quam Egilwardo S. Burchardi monacho tribuunt, qui ſec. XII. *e*) vitam S. Burchardi ſcripſit æque ac illam S. Kiliani interpolatam. Incipit: *Beatus Kilianus.* Alteram, cuius initium eſt: *Fuit vir vitæ Venerabilis*, uti brevior eſt, ſic et ſinceriorem magisque genuinam agnoſcunt iidem Bollandiani et Mabillonius *f*): legitur quoque apud Caniſium *g*) ex Msc. Aichſtadiano deſumta. Ex interpolata porro vita lucubrationem ſuam metricam de actis S. Kiliani adornavit Ioannes de Luterbech Erfordienſis primum, dein S. Stephani Herbipoli monachus, quam primus in lucem protulit P. Ignatius Gropp inter ſcriptores Wirceburgenſes *h*). Verum illam æque ac fontem, unde profluxit, nullius auctoritatis eſſe iudicat Eccardus *i*), qui et ipſe ſimpliciorem eiusdem vitæ deſcriptionem ex martyrologio Fritiſlarienſi ſe daturum promiſit, ab eo tamen morte præpeditus. Aliam vitæ epitomen exhibet Notkerus Balbulus ſec. IX. ſcriptor in ſuo martyrologio ad d. 8. Iulii *k*), a cæteris parum abſimilem. Nos acta ſinceriora apud Mabillonium ſequimur cum Eccardo, nec aliorum recentiorum ineptias moramur.

XVI. Nomen *Kiliani*, quod uſitatius eſt, varie a ſcriptoribus expreſſum legimus, *Guillianus*, *Chilianus*, *Killena*, *Killinus*, *Chillenus*, prout fuſe disquirit Io. Bapt. Sollerius in commentario

*a*) Vit. SS. T. IV. p. 131. *b*) Pag. 966. *c*) Nov. edit. T. III. P. I. p. 175. *d*) T. II. Iul. p. 615.
*e*) Vid. infra p. 192. *f*) Act. SS. Sec. II. p. 991. *g*) Loc. cit. p. 180. *h*) T. I. p. 795.
*i*) Franc. Or. T. I. p. 271. *k*) Canis. lect. ant. T. II. P. II. p. 150. nov. ed.

prævio ad eius vitam. Cuncta hæc nomina nec latina nec Teutonica eſſe per ſe patet, quæ vero Hibernis et Scotis eſſe familiaria nonnullis exemplis probat Eccardus *a*), qui plura de eius patria diſquirit, quam omnes Scotiam ſeu Hiberniam indicant, utriusque enim provinciæ incolas Scotos fuiſſe appellatos oſtendit Uſſerius *b*). Si antiquo codici Bibliothecæ Venetæ fides *c*) *Kilianus Scotus natus* erat *de provincia Lorna iuxta caſtrum Dunestfag.* Est autem *Lorna* hodieque meridionalis Scotiæ provincia, in qua adhuc caſtrum *Dunſtafage* ad lacum *Erriſ* conſpicitur.

XVII. *Kilianus* igitur, ut refert ſincerior ſcriptor, magno Scotorum genere editus, *a puerili ætate magnum habuit ſtudium ſacras diſcere litteras, et in eis tam perfecte profecit, ut exinde pontificatus didiciſſet regere culmen.* Hæc de ordinatione epiſcopali eſſe intelligenda extra dubium eſt, incertum vero, num illam Romæ a papa, quod vult Egilwardus, an adhuc in patria ſua acceperit. Id diſquirunt Sollerius et Eccardus, atque illum iam ante fuiſſe epiſcopum oſtendunt, quam relicta patria Romam accederet, non tamen certæ ſedi addictum, ſed regionarium, ut vocamus, ſeu ad prædicationem evangelii in exteris regionibus ordinatum, quod tum in Scotia et Hibernia moris erat; de quo etiam paullo poſt nonnulla dicemus. Cæterum hic nihil de Kiliani monachatu aut Hiienſi abbatia, quam ei Trithemius et alterius vitæ interpolator aſſerunt, de quo tamen merito dubitat Mabillonius, maxime quum in breviore eius vita ne minimum quidem eius rei veſtigium appareat.

XVIII. Exinde autem *in tantum amore chriſtianæ religionis impletus erat, ut quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoſceret, devota mente et pio operari ſtudio non ceſſaret.* Concepto demum relinquendi patriam, fidemque Chriſti aliis gentibus prædicandi propoſito, *congregatis in unum ſuis ſociis atque diſcipulis cœpit eis perſuadere, propria contemnere, patriamque et parentes ſecundum Domini Evangelium relinquere, et nudos ſequi Chriſtum.* Numerant acta inter illos *Colonatum* ſeu *Colomannum*, *Gallonem*, *Arnuvalum* presbyteros, et *Totnanum* diaconum, quibus alii ſeptem adiuncti ſint. Ex his ſoli *Colonatus* et *Totnanus* magiſtro ſuo in itinere et paſſione conſtantes adhæſerunt: de *Gallone* altum deinceps ſilentium, quem interpolator cum *Gallo* S. Columbani diſcipulo multo antiquiore male confundit, et inſigni anachroniſmo utrumque S. *Kiliani* diſcipulis adnumerat. *Arnwalus* ſeu *Erwaldus* magiſtrum Romam comitatus inde in Gallias diſceſſit, ubi teſte Sigeberto ad ann. 694. floruit. Hi itaque omnes *Kiliani* conſilio promte annuentes *relictis omnibus de propria perrexerunt patria, et venerunt in Auſtralium partem, ad caſtellum, quod vocatur Wirziburch*, ubi *per aliquod tempus* commorati ſunt.

XIX. Regnabat tum in his partibus dux quidam *Gozbertus*, *filius Hetani ſenioris, qui fuit filius Rhuodis*, ipſe cum populo ſuo paganis adhuc ſuperſtitionibus addictus. *Videns autem ſanctiſſimus vir*, pergunt acta, *miræ amœnitatis locum, atque pulcherrimam multitudinem ibi nobilium virorum ab antiquo hoſte obſeſſam, ultra quam dici poteſt, dolebat illorum cæcitatem, iniitque cum ſuis conſilium*, ut Romam peterent, ibique a papa Ioanne V. accepta licentia illuc reverſi fidem Chriſti annuntiarent. *Sed illuc venientes, et Apoſtolicum virum Ioannem non inve-*

*a*) L. c. p. 273. *b*) Antiq. eccles. Britannic. p. 382. ſeqq. *c*) Eccard. l. c. p. 272.

*nientes, quoniam iam defunctus eſt*, (ſcilicet menſe Auguſto a. 686.), *a ſancto papa Conone* (eodem anno d. 21. Oct. conſecrato) *prædictus Dei pontifex Kilianus amabiliter et honorabiliter ſusceptus eſt. Cum autem B. papa Conon audivit, unde venerat, et ad quid venerat, et ad quem locum exinde promta voluntate iturus fuerat, audita illius fide pariter et doctrina, dedit illi a Deo et S. Petro principe Apoſtolorum licentiam et poteſtatem prædicandi et docendi, et quoscumque ſua convertere potuiſſet doctrina, libera atque firmiſſima hoc facere poteſtate.*

In isthac narratione nonnulla animadverſione digna occurrunt. Primum eſt, quod nulla hic fiat mentio ordinationis S. *Kiliani* Romæ factæ, unde is iam antea episcopus fuiſſe probatur, ſecus ac Egilwardus ſcribit, qui inſuper aliam huius Romani itineris cauſam confingit, Kiliano et Scotis æque ac Anglis *minus* honorificam; aſſerit enim, quod *Hibernia olim Pelagiana fœdata fuerit hæreſi, apoſtolicaque cenſura damnata, quæ niſi Romano iudicio ſolvi non potuit.* Atqui id malum olim non Hiberniam ſolum, ſed totam Britanniam infecerat, iam tamen tunc ante duo fere ſecula ſopitum, adeoque et cenſura, ſi qua in integram regionem facta fuiſſet, diu ſublata: unde etiam plures ex illis partibus episcopi aliique viri apoſtolici tam ante quam poſt hæc tempora rectam fidem per Galliam et alibi inſigni cum fructu prædicarunt, ne quidquam de hac cenſura ſolliciti, cuius ſolutionem nec ipſi nec Kilianus Romæ poſtularunt. Quod autem fidem in exteris provinciis annuntiandi facultatem a Romano pontifice petierit Kilianus, nonniſi monitum S. Pauli implevit, qui legitimam ad prædicandum miſſionem præſcripſit; *quomodo* enim *prædicabunt niſi mittantur a)?* Simul vero morem exinde in eccleſia receptum obſervavit, ut maxime peregrini et transmarini verbi Dei præcones prius fidei ſuæ rationem primo paſtori redderent, atque ab illo miſſionem ſuam ſeu facultatem ad id impetrarent: cuius rei exempla paſſim notantur, quæ inter illud S. Bonifacii facile præcipuum eſt.

Fuſius iſta proſequitur Serarius in citatis ad S. Kiliani vitam obſervationibus, aſſerens, Kilianum ideo ſeſe ad ſedem Apoſtolicam contuliſſe, *ut quemadmodum cum Petro Paulus evangelium contulit, ſic ipſe ab illa purum ſincerumque catholicæ fidei dogma perciperet;* modo et hæc non addidiſſet: *apoſtolicaque in illam provinciam contorta cenſura liberaretur*, quæ omnino ex interpolatore hauſit. Eccardus quidem *b*) nonnihil in eandem ſententiam propendet, ut tamen aliam cauſam aſſignet, cur ex Hibernia vel Scotia, utpote longius a Roma diſſitis provinciis, emigrantes Chriſti præcones, episcopi præprimis, Romam plerumque ante omnia profecti ſint, *ne* ſcilicet *ob doctrinam ſuſpecti eſſent*, unde *ſuam conſecrationem a pontifice Romano confirmari curabant, atque ab eodem licentiam gentibus evangelium prædicandi accipiebant.* Secuti nimirum ſunt exemplum primi gentium apoſtoli Pauli, qui *c*) ſecundum revelationem aſcendit Ieroſolymam ad apoſtolos, et contulit cum eis evangelium, quod prædicabat in gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, quales poſtea nominat Iacobum, Cepham et Ioannem, addita ratione, *ne forte in vacuum currerem aut cucurriſſem.*

Porro antiqui huius ritus inſigne teſtimonium ex Ioanne Tinmuthenſi profert Uſſerius *d*) de Kentigerno Glaſconienſi pontifice conſecrato per Hibernum episcopum more Britonum et Scotorum, apud quos canonum ignaros *mos inoleverat, in conſecratione pontificum tantummodo capita*

a) Rom. 10, 15. b) L. c. p. 273. c) Gal. 2, 2. d) Antiq. eccleſ. Britan. p. 358.

*eorum ſacri chriſmatis infuſione perungere, cum invocatione S. Spiritus et benedictione et manus impoſitione . . Sanctus autem Kentigernus huius ritus errori plenius ſatisfecit. Septies enim Romam adiens, S. Gregorio M. totam vitam ſuam, electionem et conſecrationem et omnes caſus, qui ei acciderant, ſeriatim enodavit. Sanctus vero papa illum virum Dei et Spiritus S. gratia plenum intelligens, conſecrationem eius, quam a Deo noverat proveniſſe, confirmavit, ipſoque multoties petente et vix impetrante, quæ deerant conſecrationi eius ſupplens, in opus miniſterii a Spiritu S. illi iniuncti deſtinavit.* Quid ſi hæc quoque cauſa iter Romanum Kiliano perſuaſiſſet? Explicari ſaltem quoad hanc partem poſſet Egilwardus, dum illum a papa Conone *ex conſenſu totius urbis in præſulatus officium* conſtitutum ſcribit, *quo et chriſma conficere, et eccleſias dedicare et ſacros ordines conſecrare* IRREPREHENSIBILITER *valeret*; quæ quidem æque de collata, quam confirmata tantum Kiliano pontificia dignitate intelligi poſſunt.

XX. Ex his iam tempus Romani huius itineris examinemus, et genuinam prædicationis a Kiliano in Franconia inſtitutæ epocham habebimus. Kilianus cum ſociis Wirceburgi poſt primum illuc adventum *per aliquod tempus* demoratus dicitur, quod vero breve eſſe debuit, quum nihil de ſuſcepta interim prædicatione in actis commemoretur: quin communi potius conſilio Romam prius ire decreverunt, debitam ad id facultatem a papa petituri. Erat tunc is, ut in actis legitur, Ioannes huius nominis quintus, qui ex Pagio a d. 23. Iulii a. 685. ſedem tenebat, et anno ſequente d. 1. Aug. obiit, cui eodem anno d. 21. Oct. Conon ſuffectus eſt. Intermedio igitur trimeſtri autumnali a. 686. iter hoc contigit, quum nec mors papæ Ioannis, nec Cononis electio Romam ituro innotuerit. Kiliano autem circa finem dicti anni Romam appulſo Conon *audita illius fide et doctrina dedit illi a Deo et S. Petro principe Apoſtolorum licentiam et poteſtatem prædicandi et docendi, et quoscunque ſua convertere potuiſſet doctrina, libera atque firmiſſima hoc facere poteſtate*; ubi de ordinatione ne verbum quidem. Quamdiu Romæ ſubſtiterit Kilianus haud exprimitur, Wirceburgum tamen rediiſſe videtur initio ſaltem anni 687, quo d. 21. Sept. defunctus eſt Conon.

XXI. *Kilianus* Roma digreſſus in itinere pleroſque amiſit ſocios, per alias regiones prædicationis cauſa diffuſos; in actis enim nonniſi duo *Colonatus* presbyter et *Totnanus* diaconus Wirciburgum cum eo iterato veniſſe memorantur, *ibi prædicantes primitus verbum Domini. Quibus auditis Gozbertus dux convocari eos fecit ad ſe. Quum autem præſentati eſſent, confabulationem in invicem fecerunt Kilianus epiſcopus et præclarus dux Gozbertus. Non multo poſt tempore perſuadebat illi devotus Domini pontifex Kilianus chriſtianum fieri: qui etiam Domino volente illius ſacris admonitionibus adquieſcens, baptizatus eſt ab illo, et confirmatus eſt omnis populus, qui ſub illius poteſtate erat.* Paucis his verbis totam converſionis hiſtoriam acta ſinceriora proſequuntur; quæ tamen de confirmatione totius populi habent, ideo dicta arbitramur, quod ex ducis ſui converſione ad fidem amplectendam plures animati ſint ſubditi, ut tamen magna vel forte potior eius pars præmaturo Apoſtolorum ſuorum interitu aut in infidelitate permanſerit, aut ad eam denuo redierit, quod inferius videbimus. His multa parerga addit interpolator ab actis magis genuinis et veriſimilitudine aliena, quæ inter Sollerius etiam recenſet diem reſurrectionis Domini, in qua baptizatus ſit Gozbertus, quod utique a. 687. iam menſe Aprili fieri haud potuit, quo tempore vix forte Roma reverſus fuerat Kilianus, et alias intra tam breve tempus tanta præ-

ſtare haud potuiſſet, quæ de eo narrat Egilwardus. Quodſi revera in paſchate baptizatus fuiſſet Gozbertus, id verius ad annum 688. referretur. Vid. infra N. XXIV.

XXII. Diximus ſuperius N. VII. *Gozberto* duci uxorem fuiſſe Geilam ſeu *Geilanam*, quæ quondam fratri eius nupta erat, idque *ſecundum gentilitatis ritum*, forte ex Iudaiſmo deſumtum, pridem iam ductam, non autem vidente et non renuente Kiliano, quod calumniatur Basnagius; qui enim iam ductam dimitti voluit, quomodo ducere permiſiſſet? Quum autem chriſtianis moribus adverſarentur inceſtæ hæ nuptiæ, prudenti œconomia uſus Kilianus, *ſicut ſapiens ſemper facit ſapienter*, *noluit illi eam interdicere*, *antequam bene firmiterque confortatus eſſet in fide chriſtianitatis*. Conformia ſcilicet hæc ſunt illis, quæ Auguſtino de matrimoniis Anglorum in gradibus prohibitis adhuc in infidelitate contractis ſciſcitanti olim reſpondit S. Gregorius M. *a*), neophytos in gradu prohibito iunctos nec ſeparandos eſſe, nec ſacra communione privandos, ſed admonendos ut abſtineant; *ſancta* enim *eccleſia quædam per fervorem corrigit*, *quædam per manſuetudinem tolerat*, *quædam per conſiderationem diſſimulat atque portat*, *ut ſæpe malum*, *quod averſatur*, *portando et diſſimulando compeſcat*. Occaſione tamen poſtea uſus Kilianus, duci illicitas eſſe has nuptias aperuit, illum ad dimittendam illegitimam coniugem hortatus. Ægre quidem tulit hæc monita dux, ſe tamen propter Dei amorem, uti alia prius ſibi cara reliquerat, ſic et dilectam ſibi coniugem derelicturum promiſit. Quo minus vero ſtatim id faceret, dux imminens bellum contra reipublicæ hoſtes cauſatus dicitur in actis interpolatis, de quo ſilent cætera acta. Sive tamen in bello, ſive alia de cauſa Wirceburgo abſentem poſtea fuiſſe ducem iam dicenda produnt.

XXIII. Mariti igitur quacunque de cauſa abſentis occaſione uſa furibunda mulier, ut conſilium Kiliani et ducis promiſſum præverteret, ſervis Dei necem machinari cœpit. Conductum itaque ſicarium, vel duos, quod alii volunt, noctu immiſit, qui ſanctum pontificem ſociosque eius interimeret. Illi futurorum haud ignari divinas laudes decantabant, et Kiliani exhortationibus animati, unacum ipſo abſciſſis capitibus martyrio coronati ſunt, et *eadem nocte cum omni celeritate eodem in loco furtim ſepulti*; *ſed et illorum capſæ*, *crux et evangelium*, *aliaque pontificalia veſtimenta ſimul cum illis in ſepulcro poſita ſunt*. *Hoc videns quædam matrona*, *nomine Burgunda*, *verbis facta narravit*. Refert deinde interpolator, cuncta hæc in humido ſolo defoſſa, in corporum elevatione, a S. Burchardo primo Wirceburgenſi epiſcopo circa a. 743. facta *b*), ita ſalva fuiſſe reperta, *ut carnibus*, *ſicut mos eſt*, *conſumtis*, *nec unum folium de libris vel fimbria de veſtimentis ipſorum putredine conſumtum ſit*, quæ etiam Notkerus narrat.

Hic vero nonnulla in annalibus noſtris l. c. de elevatione S. Kiliani a Burchardo facta diſtinctius nonnihil recenſendi locus eſt, quæ in breviore vitæ ſcriptore deſiderantur, nec nos ſatis ſuo loco expendimus. Egilwardus, neſcio qua fide, ſuper locum martyrii ſtabulum equorum erectum fuiſſe narrat, ad tegendum ſuum facinus et oblitterandam Sanctorum memoriam. Eorum tamen Reliquias poſt dimidium ſeculum ibi repertas fuiſſe videbimus infra N. XXXIV. quæ erectioni epiſcopatus Wirciburgenſis anſam præbuerunt. Illa quoque occaſione repertos fuiſſe libros cum corporibus, ut meminimus, defoſſos memorat Eccardus adhucdum in ſacrario eccleſiæ

*a*) Epiſt. L. XI. ep. 14. *b*) Infra p. 5.

cathedralis Wirceburgenſis ſervatos, præprimis *librum evangeliorum*, quo S. Kilianus usus esse perhibetur, quem ipse testis oculatus ætate si non ſuperiorem, ſaltem comparem iudicat, cuius etiam tabulam eburneam ligaturæ eius præfixam æri incisam exhibet *a*) et *b*) ſcripturæ eius ectypon ſistit. Addit quoque quædam excerpta e codice epistolarum S. Pauli Glossis Hibernicis illustrato, quæ vero tantæ ætatis haud existimat. Cæterum de hac Reliquiarum translatione et cultu plura operose congessit Sollerius in citato commentario atque Eccardus, quæ fusius hic recensere longum nimis foret. Conferantur, quæ ſparsim diximus in Annalibus *c*), et de ecclesia cathedrali *d*). Nos ad martyrii historiam revertimur.

Illud inscio et absente Gozberto contigisse testatur anonymus brevior: *Veniente duce Gozberto, et ubi ſupradicti Dei ſervi essent inquirente, infidelis eius uxor respondit, se nescire quo pergerent, vel ubi forent.* Deceptus est adeo Rabanus, etsi temporibus vicinior, quippe ſeculo post natus, qui in ſuo martyrologio SS. Martyres *ob veritatis confessionem a quodam iudice iniquo, nomine Gozberto*, trucidatos ſcribit; uti et Notkerus Balbulus hæc referens: *quum multum populum idem Vir apostolicus ſignis et verbo Domino adquireret, a duce locorum eorundem nomine Gozberto, pro eo quod eum a coniugio uxoris fratris ſui disiungere niteretur, factione eiusdem incestuosissimæ Geilæ cum ſociis est interemtus.* At enim Gozbertum iniquæ cædis fuisse participem iam dicta, et deinceps dicenda ſatis et abunde refellunt.

XXIV. In figenda martyrii epocha non conveniunt ſcriptores, qui id omnes ad tempus referunt, quod Gozbertum abſentem detinebat. Duas autem Pipini Heristalli Maioris-domus Austrasiæ expeditiones circa hæc tempora memorant annales, unam contra Theodericum Neustriæ regem a. 687, alteram contra Ratbodum Frisiæ regulum a. 689. Primam adoptat Eccardus ex chronico Wirceburgensi apud Baluzium, quod mortem Kiliani ad a. 687. consignat. Verum ſupra num. XXI. iam notavimus, Gozberti baptismum ante annum 688. reponi vix posse; dux autem iam ut christianus bello adſuit, concepto Geilanam post reversionem dimittendi proposito, igitur primum a. 689. Accedit, quod Kilianus ducem de incestis nuptiis non ſtatim post ſusceptum baptisma monere voluerit, ſed illud distulerit, donec in fide magis esset roboratus, quod anni ſaltem ſpatium requirebat. Intelligenda igitur est altera expeditio a. 689. integro anno post baptismum ducis in Frisios adornata: quo ipso omnia fiunt planiora, et passio S. Kiliani ad annum 689. promovetur, quem etiam habent Mabillonius, Serarius, Sollerius, Fleurius et alii. Extenditur quoque hac ratione apostolatus S. Kiliani in Franconia ſaltem ad biennium, intra quod illa in gentis conversione præstare potuit, quæ de eo memorant acta: non item intra ſemestre, quod alias fluxisset ab initio prædicationis ad ſummum ineunte anno 687. usque ad mensem Iulium, qui ei finem imposuit.

Reperitur adhuc tertium Pipini bellum contra Frisios et pugna apud Dorestadium, quod annales Metenses recte ad ann. 697, alii ad ann. 695. consignant. Atque hoc ob oculos habuisse videtur Sigebertus Gemblacensis ad eundem annum in chronico ita ſcribens *e*): *apud Wirziburch castrum Ostro-Franciæ S. Quilianus cum discipulis ſuis clam martyrizatur a Geilana uxore Gothberti principis Wirziburgensium, quæ timebat ſeparari a viro ſuo, quod eam uxorem quondam*

*a*) Franc. Or. T. I. p. 281. *b*) Pag. 451. *c*) Pag. 5. *d*) Pag. 173. *e*) Pistor. Script. T. I. p. 765.

*fratris etiam ipse uxorem haberet.* Longius hoc modo protraheretur S. Kiliani apostolatus ad integrum decennium; Kilianum autem tamdiu tolerasse incestum Gozberti coniugium ab omni veri ſpecie abhorret; quin et Geilana tum iam in ea ætate fuisset, ut eam dimittere tantopere haud hæreret, præsertim quum et ipse tum ſenex esset, utpote ex filio Hetano avus Thuringi nepotis, qui post ſeptennium iam patris chartam firmavit. Præstat igitur communiori inhærere ſententiæ, quæ mortem S. Kiliani ad ann. 689. assignat. De die emortuali æque ac de anno ſilent acta, quamvis constans martyrologiorum assertio et communis diœceseos usus Sanctorum horumce cultui diem VIII. Iulii dedicarit, ſive ille passionis fuerit, ſive elevationis aut translationis factæ a S. Burchardo episcopo.

XXV. Haud inultum remansisse hoc clam patratum parricidium, ſed divina ultione manifestatum, antiquiora acta ita enarrant: „Miser ille, qui necis eorum reus tenebatur, non potuit celare pœnam, quæ ei de vindicta Martyrum evenit, ſed currens huc illucque vagus et profugus et velut phreneticus, se esse reum de morte eorum ſemper asserebat, et insuper aiebat tremens et lugens: Killena ſanctus Dei igne me ferocissimo exurit. Hoc itaque audiens Gozbertus dux congregato omni populo, qui cum illo ſimul erat ſacro baptismatis fonte a S. pontifice ablutus, interrogavit eos, quid de misero facere debuisset. Erat autem ibi quidam homo eloquens, paratusque ad respondendum ſecundum ſuggestionem Geilanæ . . qui taliter dixit: Domine mi, cogita de temetipso et omnibus nobis, qui ſimul tecum baptisma ſuscepimus ab ipsis, et proba, utrum Deus eorum tam fortis, tam præpotens ſit et omnia ſciens, retribuensque bonis bona, et in novissimis mala restituens malis, nisi se per pœnitentiam ante correxerint: et iube illum miserum resolvi a vinculis, et coram omni populo, ſuo derelinqui arbitrio. Si enim est talis Deus eorum, ſicut dixerunt et illi, descendet ſuper eum vindicta illius, et potenter ſuos vindicabit ſervos. Sin autem alias, tunc volumus ſervire magnæ Dianæ, ſicut et anteriores nostri fecerunt patres, et prosperati ſunt in eo usque in præsens. Factum est quoque ſecundum dictum hominis tyranni, et dimissus est miser ille in medio populi. Cum vero dimissus esset, cœpit repente insanire et ſemetipsum ſuis laniare dentibus, quousque vitam finivit præsentem. Quod cum viderent, qui ſacro baptismatis fonte abluti erant, omnes pariter gloriantes gaudebant se obedire illorum doctrinæ, quoniam videbant Deum illorum tam mirabiliter eos vindicare. Igitur his omnibus ita peractis vindicta iræ Dei ſubsecuta est carnifices SS. Martyrum. Nam Geilanam ſpiritus invasit malignus, atque in tantum eam agitabat, usque dum vitam finiret. Hetanum vero *filium eius* populus orientalium Francorum de regno eiecit. In tantum enim illius persecuti ſunt progeniem, ut nec unus de illius ſtirpe remaneret." Speciatim hic notandum, quod *Hetanus* iunior Geilanæ ipsius filius dicatur, unde de ætate matris ferendum iudicium, ut mox ſupra monuimus.

XXVI. Nihil in his actis de Gozberto duce a propriis ſervis interemto, quod tamen legitur in illis apud Mabillonium. Id porro ex interpolatore fuisse additum videtur, qui id tantum ex auditu refert. Actorum enim ſcriptor vindictam ſolum in Martyrum carnifices, Geilanam nempe eiusque progeniem exercitam esse prodit, quod utique nihil ad Gozbertum, ab ista cæde plane innoxium, adeoque nec pœnæ obnoxium, prout hucusque perperam tradiderunt ſcriptores, nonnisi præcedentium narrationibus innixi, quos inter est Notkerus Balbulus et auctor chronici Wirceburgensis, nec non Rabanus. Ex recentioribus ſententiæ huius patronis Ioann.

Müllerus in ſuo chronico *a*) aliquam quidem violentæ huius necis rationem affert, Geilanam nimirum a reverſo Gozberto, ut promiſerat, dimiſſam tumultum ſuſcitaſſe, in quo ille propterea a. 707. peremtus ſit, ac tum demum eius percuſſores ac Geilanam a dæmone arreptos pœnam luiſſe. Speciosa hæc ſunt, et ſi tempora aliter ordinentur, haud abſque veri ſpecie. Vindicta tamen divina in Geilanam tamdiu fuiſſe dilata ex actis haud videtur; neque etiam Gozbertus usque ad a. 706. ducatu potitus fuit, quem ex dictis N. XI. iam a. 704. *Hetanus* eius filius tenuit, ante quem adeo annum naturali morte defunctum cenſemus Gozbertum, cui ſerie non interrupta ſucceſſit filius *Hetanus* iunior ſeu *Hedenus* ſaltem ab a. 704. usque 716. quod ſuperius ex fide monumentorum probavimus. Somniant igitur, qui Gozbertum in odium fidei a ſubditis ſuis paganis occiſum comminiſcuntur; quomodo enim iſti filio eius *Hetano* pepercisſent, religioni tantopere addicto? Verum fabulas et ſomnia diutius venari nolumus, unicam adhuc residuam dispunxiſſe contenti.

XXVII. Talis eſt narratio de fato Hetani iunioris ducis ſuperius memorata, quem acta etiam carnificibus S. Kiliani adnumerare videntur, utpote divinæ vindictæ participem, et regno propterea a populo ſuo eiectum. *Hedeni* enim pro religione ſtudium ex ſupra N. XI. et XII. dictis manifeſtum ſit; quod etiam ex filiæ eius Imminæ ſancta converſatione N. XIV. amplius elucet. Ex illius porro actis prædicti aſſerti falſitas apertius eruitur; Hetani enim filia Wirceburgum caſtellum ſeu montem S. Mariæ ceu paternam hereditatem a morte patris poſſedit usque ad tempora S. Burchardi primi epiſcopi circa a. 742, quocum deinde illud permutavit, ut l. c. memoravimus. Qua autem ratione filiæ patris caſtrum Wirceburg ducum ſedem reliquiſſent Orientales Franci, ſi illius patrem regno ſeu provincia eieciſſent, eiusque progeniem ita fuiſſent perſecuti, *ut ne unus de illius ſtirpe remaneret?* aut quomodo remanſit ſola filia omni alio auxilio deſtituta, et tamen paterno caſtro quiete retento? Quæ omnia communi aſſerto manifeſte refragantur. Hæc vero opinio de extincta Hetani progenie originem inde habuiſſe videtur, quod nulla eius memoria amplius habeatur poſt annum 716. quo cum in pugna Vinciacenſi cum filio Thuringo occubuiſſe N. XIII. coniectati ſumus. Poſteriores igitur ſcriptores, quales ſunt omnes hucusque memorati, quum nullum alium poſtea ducem repererint, eum a proprio populo exactum ſuſpicati ſunt illiusque genus deletum· quod quidem verum eſt, non tamen ob popularem ſeditionem, quam utique inultam haud tuliſſet Pipinus ſive Carolus Martellus harum regionum domini, ſed eo, quod memoravimus, fato.

XXVIII. Religionis Chriſtianæ in his partibus ſtatum ducum ceſſante dominio ſatis, ſubobſcure tamen deſcribit S. Willibaldus horum temporum proximus in vita S. Bonifacii cap. 23. *b*) ita de S. Bonifacii in Thuringiam circa a. 724. ſeu ſeptennio poſt *Hetanum* adventu diſſerens: *Ad Thuringiam profectus ſeniores populique principes affatus eſt, eosque relicta ignorantiæ cæcitate ad acceptam Chriſtianitatis religionem iterando provocavit:* quia *ſatiſcente ſuorum* (Auſtraſiæ nimirum ſolo nomine) *regum dominio magna quidem eorum comitum multitudo ſub* THEOBALDI et HEDENIS *perículoſo primatu, qui lugubre ſuper eos tyrannici ducatus et infeſtum vaſtationis potius quam devotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos præventa morte, vel hoſtili ſiquidem eductione captivata eſt, in tantumque diverſis conſtricta malis, ut cætera, quæ manebat*

*a*) Ludewig Script. Wirceb. p. 359. *b*) Mabill. Act. SS. Sec. III. P. II. p. 17.

*reſidua, populi turba Saxonum ſe ſubiiceret dominatui.* Hæc ea reſpicere exiſtimat Calles *a*), quæ paullo ante de duobus ducibus *Gozberto* a ſuis interfecto et *Hetano* ſeu *Hedeno* per ſuos e regno eiecto ex aliorum ſententia retulimus, eos nempe ſupremam quaſi poteſtatem ſibi arrogaſſe, ac ſubditos violenter oppreſſiſſe: „Quod quum primoribus ſeu comitibus gentis intolerandum videretur, illos in ſeditionem verſos et maiori parte a duce cæſos; plebem populatione et vexatione in deſperationem meliorum actam, conſilii præſentioris inopia, ut a tributis, oneribus, vexationibus ſe eriperet, Saxonum ſe poteſtati ſubiecisse.“ Subdit demum: „Si enim iuſta tantum ſeveritate in coercendis improbis, aut ad Chriſtianos mores adducendis uſi fuiſſent *Theobaldus* et *Hedenus*, Willibaldus eam ducum, alias religioſa liberalitate præſtantium, pietatem laudare potius debuiſſet, quam in invidiam vocare.“

Ex allegato equidem Willibaldi teſtimonio colligitur, ambos hos duces maiorem quam ſibi competeret, in Thuringia arrogaſſe poteſtatem, unde etiam comitum et populi in ſe invidiam concitarint, præſertim quum aliquos eorum neſcio qua de cauſa vel morte mulctarint, aut in militiam miſerint, ubi vel capti vel interfecti ſint, quod præcipue in pugna Vinciacenſi a. 717. contigit, ut ſupra iam retulimus, in qua ipſe etiam *Hettanus* dux occubuerit. Tyrannicum adeo horum ducum imperium potius reſpicere videtur Auſtraſios principes, qui uti in regno, ſic et in cæteris provinciis ei ſubditis libera poteſtate uſi reliquis ducibus et nobilibus quaſi vaſallis ad proſequenda ſua bella imperitabant; unde et ipſi a ſuis ſubditis ampliora ſubſidia exigere cogebantur. Memoratos autem duces a ſuis interfectos vel eiectos fuiſſe exin minime colligitur. Quodſi etiam propterea *Gozbertum* occidiſſent, ſalvum tamen in ducatu manſiſſe filium eius *Hedenum* ſuperius iam dicta confirmant. Explicant id aliquomodo, quæ mox in Willibaldo ſequuntur, a Calleſio tamen ſubdole omiſſa: *quo ceſſante* RELIGIOSORUM *ducum dominatu, ceſſavit etiam in eis*, Thuringis ſcilicet et Franconibus, *chriſtianitatis et religionis intentio;* quæ duces iſtos ab inſigni religionis zelo commendant, quo ſubditos ſuos in ſuſcepta ab eis fide confirmarunt et retinuerunt. Hæc etiam, ſi vera eſſet iſta de illorum fatis narratio, potiſſima cauſa fuiſſet motæ contra eos perſecutionis, quod iam Egilwardus ſuſpicatus eſt.

XXIX. Iſte vero *Theobaldus* dux alius haud fuit, quam ipſe *Gozbertus*, quem etiam *Gozbaldum* appellat Bucelinus, mutato fors in baptiſmo Theotiſco nomine. Quum enim Willibaldus duos duntaxat *religioſos* ſeu chriſtianos gentis duces numeret, quales ſoli fuerunt *Gozbertus* eiusque filius *Hetanus* iunior ſeu *Hedenus*, ambo a S. Kiliano baptizati, *Theobaldi* nomine non niſi *Gozbertus* venire poteſt. Horum itaque dominatu ſeu ducatu deficiente populus ſub vicinorum Saxonum adhuc gentilium poteſtatem ſive ſpontanea deditione ſive armorum vi redactus eſt, partimque ad paganiſmum defecit, idque, ut videtur, potiſſimum ex operariorum ſeu ſacerdotum penuria, quales a S. Kiliano, forte ob temporis brevitatem, ordinatos fuiſſe haud legimus. Unde etiam, ut pergit Willibaldus, *falſi ſeducentes populum introducti ſunt fratres, qui ſub nomine religionis maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt ſectam.* Religio tamen paullo poſt S. Bonifacii præprimis eiusque ſociorum opera et labore reſtituta eſt.

*a*) Annal. eccl. Germ. T. II. p. 187.

XXX. Quæ hucusque de S. Kiliani geſtis et prædicatione breviter diſſeruimus, ſatis oſtendunt, illum iure vocari Franciæ Orientalis Apoſtolum, utpote quam a paganicis ſuperſtitionibus ad Chriſtiana ſacra primus perduxit, uti eius acta et vita S. Bilihildis abunde teſtantur. Non deerant equidem, qui iam ante Kiliani adventum in his terris Chriſti fidem colerent, parvo tamen numero, et ut videtur, e Gallia dudum chriſtiana huc advecti, poſtquam Francorum regibus ſubiecta eſt provincia. Hi ipſi tamen haud palam religionem ſuam exercebant, uti ex altera Bilihildis vita apparet, cuius parentes Hochhemii *occulte* oratorium habuiſſe leguntur, ubi fidei chriſtianæ exercitiis vacarent. Nec id mirum, ducibus provinciæ cum omni ſuo populo idololatriæ adhuc addictis. Quamvis enim chriſtianis Auſtraſiæ regibus pareret Thuringia, haud magnos tamen inde progreſſus fecit religio, cuius dilatandæ non adeo ſtudioſi erant eorum plerique, niſi duces ab ipſis præfecti eidem invigilaſſent, uti a Baioariæ ducibus factum conſtat. Spes quidem erat per *Bilihildis* matrimonium cum *Hetano* ſeniore duce idem, quod olim in Francia per coniugium *Clodovæi* cum *Clotilde* factum eſt, in *Franconia* quoque eventurum, ut nempe maritus opera coniugis ad fidem traduceretur, ſed præmatura ducis fata ſpes omnes ſuccollarunt. Quod vero patri negatum, filio eius *Gozberto* obtigit, ut propitio Numine et S. Kiliani prædicatione ipſe primo converſus evangelio dein aditum in ſuo ducatu patefaceret. Manet igitur Kiliano eiusque ſociis ſalva apoſtolatus Franconiæ gloria, quam conſtans quoque eiusdem provinciæ veneratio ipſis hucusque impenſa abunde conteſtatur.

XXXI. Exinde vero aliud oritur dubium, num idem S. Kilianus uti primus provinciæ apoſtolus, ſic primus quoque fuerit Wirceburgenſium episcopus? Huic anſam præbet Notkerus Balbulus in ſuo martyrologio, eumque ſecuti Sigebertus Gemblacenſis et Marianus Scotus in chronicis aliique, qui S. Kilianum Wirciburgenſem episcopum appellant, haud alio ſane fundamento, quam quod ceu episcopus primus ibidem evangelium prædicaverit, ibique paſſus ſit. Kilianum certe nonniſi regionarium fuiſſe episcopum, ac nulli ſedi addictum, ſuperius iam N. XVII. notavimus, neque in actis certæ ſedis ſeu Herbipoli antiſtitem a Conone papa conſtitutum reperimus, patetque vel ex ſolo Geilanæ reſponſo, quod marito reverſo et de eius ſociorumque illius abſentia ſciſcitanti iuxta Egilwardum dedit, *pro ſua voluntate illos veniſſe et receſſiſſe, ut peregrinationis ſuæ inſtitutum perſequerentur.* Tota vero hæc quæſtio ſuperflua videtur, quum Kilianus equidem episcopus fuerit et gentis apoſtolus, quin tamen alicubi propria episcopalis ſedes ordinata ſit, quod primum poſt quinquaginta annos Wirceburgi factum fuit, et quidem intuitu S. Kiliani, primusque ſtabilis illius eccleſiæ episcopus S. Burchardus ordinatus, quod in ſequentibus videbimus.

# DISSERTATIO III.

*Erectio epiſcopatus Wirciburgenſis, varii eius limites et diviſiones.*

## ARGUMENTA.

XXXII. Religionis ſtatus a S. Bonifacio reſtitutus. XXXIII. Gertrudis Carlburgenſis abbatiſsa. XXXIV. Epiſcopatus Wirceburgenſis inſtitutio. XXXV. Primæ donationes eidem factæ. XXXVI. Antiqui diœceſis pagi ac limites. XXXVII. Prima limitum diœceſis mutatio ob erectum novum epiſcopatum Bambergenſem. XXXVIII. Diſtributio epiſcopatus ſeculo XIV. XXXIX. Et ſeculo XV. XL. Nova diœceſis imminutio ſeculo XVI. per reformationem, et ſecuta exinde alia eius diſtributio. XLI. Alia limitum mutatio ob Fuldæ ſeparationem. XLII. Modernus diœceſis ſtatus.

XXXII. Poſt exceſſum S. Kiliani et *Hedeni* ultimi ducis actum videbatur de fide Chriſti in Thuringia et Franconia, niſi qui illam plantavit, etiam per alium præſulem et ducem conſervaſſet aut reſtituiſſet Deus. Paucis ſiquidem ab obitu ducis *Hedeni* annis ex Anglia ſuperveniens S. Bonifacius gliſcenti indies malo obicem poſuit ſub *Carolo Martello* Auſtraſiæ duce ſeu Maioredomus. Is enim adhuc presbyter accepta a Gregorio II. papa prædicandi licentia a. 719. *a*) Roma diſcedens ad Luitprandum Langobardorum regem inviſit, a quo benigne exceptus et dimiſſus (Willibaldus in vita c. *6. b*) „ardua ac plana agrorum peragrans ſpatia, prærupta alpium iuga tranſcendit, incognitoſque Baiorariorum et confines Germaniæ (adeoque et Franconiæ noſtræ) terminos aggrediens, in Thuringiam iuxta mandatum Apoſtolicæ ſedis conſiderando progreſſus eſt. Sanctus itaque vir Dei in Thuringia iuxta ſibi inditum mandatum Apoſtolici pontificis, ſenatores denique plebis, totius populi principes verbis ſpiritualibus affatus eſt, eoſque ad veram agnitionis viam et intelligentiæ lucem provocavit, quam olim ante maxima ſiquidem ex parte pravis ſeducti doctoribus perdiderunt. *Sed et ſacerdotes et presbyteros, quorum alii religioſo Dei omnipotentis cultu incaluerunt, alii quidem fornicaria contaminati pollutione caſtimoniam, quam ſacris ſervientes altaribus ſervare debuerunt, amiſerunt, ſermonibus evangelicis quantum potuit, a malitiæ pravitate ad canonicæ conſtitutionis rectitudinem correxit.*" Hic quidem tunc Thuringiæ ſtatus erat, in quam S. Kiliani prædicatio haud penetravit, cuius magiſterio inſtructa Franconia necdum ita corrupta eſſe videtur, cui etiam S. Bonifacii vigilantia providit.

Hic enim, quum ex paſtorum probitate et copia totius religionis fulcrum et incrementum pendere probe perſpiceret, paucos autem vel malos in ſua provincia reperiſſet, ex Anglia patria ſua plures ſibi cooperatores adſcivit, quos inter præcipui erant Burchardus et Willibaldus, Franconiæ futura lumina. Acceſſerunt viris apoſtolicis religioſæ quoque virgines, quas Bonifacius in diverſa erecta a ſe cœnobia deſtinavit, *Theclam* ſcilicet *iuxta fluvium Moin* ſeu Mœnum *in locis*

*a*) Othlonus in vita L. I. c. 9. apud Mabill. Act. SS. Sec. III. P. II. p. 34. *b*) L. c. p. 13.

*Kizingen et Ochsenfurt*, ac *Liobam ad Bischofesheim*, *ut illic multitudini virginum congregatæ præesset.* Quæ loca quum in Francia Orientali ſita ſint, manifesto indicio ſunt, religionem ab illo in his partibus fuisse restitutam.

XXXIII. Extitisse ibi quoque ſacrarum virginum congregationes, probat etiam, quod ſupra N. XIV. de B. *Immina* ducis *Hettani* iunioris filia diximus, quæ in paterno castro Wirzburg cum aliis *eiusdem voti ſeminis continentissimam degebat vitam*, donec locum illum cum S. Burchardo iam episcopo circa a. 742. pro parthenone in *Carloburg*, haud dubie a *Carolo Martello* ab a. 715. Austrasiæ duce nomen adepto commutaret, olim a S. *Gertrude* instituto. Quæ porro de ista *Gertrude* memorant ſcriptores, tantis adhuc tenebris involuta ſunt, ut illis depellendis eruditissimi viri hucusque frustra insudarint, maxime Mabillonius in appendice vitæ S. Burchardi *de Gertrude virgine Carleburgensi a)*, et Bollandiani ad 17. Mart. in peculiari dissertatione *de S. Gertrude*, *quæ in Franconia colitur.* Egilwardus in vita S. Burchardi L. 2. c. 4. dictam Imminam ita ad hunc præsulem loquentem inducit: *Est castellum*, *quod Karleburg dicitur*, *ecclesiæ vestræ nuper augmento per divinam gratiam collatum*, beneficio ut videtur Carolomanni principis aut patris ipsius Caroli Martelli, *ſanctæ nimirum Gertrudis quondam*, *dum pro Christi amore procul carnalem illecebram fugeret*, *latibulum*, *et eius Dei famulæ et cæterarum ſecum conversantium antiqua inhabitatione ſanctimonialibus non inconveniens habitaculum.* Illam in vita S. Kiliani cap. 19. Pipini regis Francorum filiam dicit, quæ ut nuptias ſibi a patre destinatas declinaret, *auxilio matris*, *quamdiu potuit*, *paternis in regnis* latuerit. *Sed quum diutius latere non posset*, *venit in partes Orientalis Franciæ in locum*, *qui nunc corrupte Carleburg vocitatur*, *ibique de facultatibus ſuis in honorem beatissimæ virginis Mariæ monasterium construxit*, *quod in præsentem diem permanet; ubi Atalongum presbyterum* (cuius postea redibit mentio) *et Bernardum diaconum*, *quos ſecum* ex Gallia *adduxerat*, *ordinavit* ſeu instituit. Addit dein ultima ſanctæ huius virginis, quæ dehinc ad terram propriam rediit, *quia procum ſui coniugii obiisse cognovit: quæ usque ad terminum* vitæ *in virginitate permanens virginitatis ſimul et morum probitate complacuit.*

Quum vero eadem fere legantur in vita S. Gertrudis abbatissæ Nivigellensis, quæ filia erat Pipini Landensis Austrasiæ ducis, ſeculo iam priore defuncta, haud temeraria coniectura est, ex patrum et filiarum homonymia confusionem personarum a ſcriptore posteriore esse factam, facile tamen ex ipsa temporum ratione extricandam. Quæ enim hic narrantur, tempore S. Bonifacii fieri debuerunt, cui Atalongus a Gertrude ſecum adductus S. Kiliani miracula retulit. Hæc adeo a priore cognomine iam a. 664. defuncta diversa fuit. Quod autem Pipini regis filia dicitur, manifestus error est; hæc enim contingere debuerunt ante ann. 740. ſeu S. Burchardi pontificatum: qua vero ratione Pipinus ad annum 714. primum natus, iam ante ann. 740. filiam nubilem habere potuit? Potius Pipini Heristalli ducis, qui in ſuo epitaphio etiam rex dicitur, filia fuit, ſoror Caroli Martelli, uti pluribus dicemus de monasterio Carlburgensi *b)* acturi.

XXXIV. Atalongus itaque presbyter in Carleburg, qui cum dicta Gertrude venerat, ut ex Egilwardo ſcribit Sigebertus in chronico ad a. 746. *c)*, *per illatam ſibi cæcitatem admonitus*

*a)* Acta SS. Sec. III. P. I. p. 718. et annal. T. II. p. 315. *b)* P. III. Sect. II. *c)* Pistor. Script. T. I. p. 773.

*quærere corpora SS. Quilliani et ſociorum eius, inventis Sanctorum corporibus visum recepit. Eaque re S. Bonifacius Moguntiæ episcopus ab Atalongo ad se relata, castrum Wirziburch ad honorem Quilliani martyris, qui ad prædicandum ibi a papa Conone episcopus ordinatus fuerat, ibique mortis et quietis locum a Deo acceperat, episcopalis ſedis privilegio insigniri decrevit, primumque ibi episcopum S. Burchardum ordinavit.* Atalongus hic in actis S. Burchardi *a)* Adelhelmus appellatur, ubi Bonifacius enarratis S. Kiliani miraculis ista ſubiunxisse refertur: *Hæc mihi primum gratia Christi per quemdam fratrem nostrum innotescere voluit, Adelhelmum videlicet presbyterum, qui lumen oculorum Dei iudicio ſibi ablatum hic iuxta glebas martyrii meritis eorundem recepit.* Occasio hæc fuit intuitu meritorum et ſepulturæ S. Kiliani hoc ipso in castro Wirceburgensi novum episcopatum erigendi circa a. 741, uti infra in annalibus episcoporum ostendimus. Ad hunc certe annum Eccardus *b)* refert ſynodum S. Bonifacii Salzburgi ad Salam Franconicam, ut vult, habitam, in qua tres episcopatus instituit, quorum primus erat in castello Wirceburg, alter Eichstadii in finibus Baioariorum, teste eodem Willibaldo in vita S. Bonifacii cap. 10. ubi *duos bonæ industriæ viros ad ordinem episcopatus* promovisse *Willibaldum et Burghardum, eisque in intimis Orientalium Francorum partibus, et Baioariorum terminis ecclesias ſibi commissas* impertitus legitur. Francorum Orientalium nomen hic se prima vice invenire asserit Eccardus. Sive tamen hoc ſive alio posteriore anno celebrata ſit ista ſynodus, Burchardus certe ante Willibaldum fuit ordinatus, ut infra Annal. p. 2. demonstramus. Institutionem vero istorum episcopatuum a. 741. fuisse factam, constat ex epistola Bonifacii ad Zachariam *c)* eodem adhuc vel ineunte anno 742. data, in qua perscribit pontifici, se *Germaniæ populis aliquantulum percursis vel correctis tres* ordinasse *episcopos, et provinciam in tres parochias* discrevisse, dein *illa tria* OPPIDA *vel* URBES, *in quibus constituti et ordinati ſunt*, a papa confirmari petit, quarum ſedium una ſit *in castello, quod dicitur Wirzaburg*, quod adeo iam tum urbs vel oppidum erat, quamvis castellum duntaxat nominetur. Simul etiam inde eruitur, episcopos illos novos non tantum fuisse destinatos, ſed iam *ordinatos*, ſecus ac vulgo hucusque creditum fuit, horum episcopatuum, Wirceburgensis ſcilicet et Eichstadiensis, initia primum ab anno 746. aut ſerius adhuc esse repetenda. Cæterum quæ petiit Bonifacius, libenter indulsit Zacharias papa in responsoriis ad illum litteris Kal. April. a. 742. ad eum directis *d)*: quod indicium præbet temporis, quo Bonifacii epistolæ ſint exaratæ.

XXXV. Primam hanc institutionem novi episcopatus non ſine ſecularis potestatis adiutorio fuisse factam in propatulo est, quamvis huius mentio nulla in citatis litteris fiat. Distinquendam tamen arbitramur erectionem episcopatus, a S. Bonifacio auctoritate apostolica factam, ab eiusdem fundatione ſeu dote ecclesiæ utique a principe territorii facienda, qui exeunte a. 741. *Carolomannus* erat, cui Austrasia post mortem Caroli Martelli patris ſui obtigerat, cuius partes erant Thuringia et Orientalis Francia. Et certe *Carolomannum* hunc primum Wirceburgensis episcopatus dotatorem prodit Ludovici Pii imp. diploma a. 823. *e)*, quo confirmat Caroli M. imp. præceptum de donatione *Carolomanni* ad ipsam ecclesiam facta, nec non et alias fratris eius *Pipini* regis aliorumque, *tam in rebus quam in marchis ac decimis, nec non et de pagensium heribannis:* quæ erat mulcta eorum, qui iussi in exercitu non comparuerunt, cuius tertiam partem Carolomannus S. Burchardo tradidit.

*a)* L. I. c. 9. apud Surium T. V. p. 747. *b)* Franc. Or. T. I. p. 389. *c)* Epist. 132. in nov. edit. 51.
*d)* Epist. al. 142. nunc 52. *e)* Cod. dipl. N. IX.

In citato autem Ludovici Pii diplomate nonnisi basilicæ enumerantur novæ Wirceburgensi ecclesiæ ab istis principibus Carolomanno et fratre ſuo rege Pipino donatæ, ſingulæ tamen cum ſuis pertinentiis, quæ in diversis antiquis huius regionis pagis ſita erant, adeoque novi episcopatus fundationem ſeu dotationem attinebant. Ex his memorantur basilica in *castro Wirceburgensi* cum rebus ad eam pertinentibus. In pago WORMATIENSI basilica in villa *Neristein* ſupra Moguntiam in ſinistra Rheni ripa; ecclesiæ in *Ingelenheim* et *Cruciniaci.* In pago MOENGOVE basilica in villa *Autmunstat* ſive *Umstat.* In pago NECKARGEWE basilicæ in villa *Lauffa* et in villa *Heilbrunna* cum pertinentibus ad eas. In pago WEINGARTEIBA basilica in villa *Burcheim* cum pertinentibus ad eam. In pago MULACHGEVE basilica in castro *Hocheimerburch.* In pago DUBRAGEVE basilica in villa *Königeshova* cum adiacentibus, et basilica in villa *Sueigra.* In pago RANIGEWE basilica in villa *Windesheim.* In pago GOLLACGEVE ecclesia in villa *Gollahova.* In pago IPHIGEVE basilicæ quatuor in villa *Wielantesheim*, in villa *Dornheim*, in villa *Kircheim* et in villa *Iphehova.* In pago FOLCFELD basilica in villa *Heritindeheim.* In pago BADUNAHGEVE basilica in villa *Konigeshova* et in villa *Sundernhova.* In pago GRAPFELDA basilica in villa *Eichesfeld* et in villa *Konigeshova.* In pago WESTERGEWE basilica in villa *Brende* et in villa *Mellrichstat.* In pago SALAGEVE basilica in villa *Hamelburg*, et *monasterium constructum in villa, quæ vocatur Carleburg*, cum omnibus ad hunc locum iuste et legaliter pertinentibus.

Iidem quoque principes *pro ſuæ mercedis augmento ad ecclesiam S. Salvatoris, ubi S. Kylianus martyr Christi preciosus corpore requiescit, concesserunt decimam tributi, quæ de partibus Orientalium Francorum vel de Sclavis ad fiscum dominicum annuatim persolvi ſolebat, quæ ſecundum illorum linguam Steora vel Osterstuopha vocantur, ut de illo tributo ſive reditu annis ſingulis pars decima ad prædictum locum persolveretur, ſive in melle, ſive in paltenis, ſeu in alia qualibet redibitione, quæ in pagis Orientalium Francorum persolvebatur*, id est, in pago WALDSAZZI, et de pago THUBARGOUUE et WINGARTWEIBA, et IAIASGEUUI, MULACHGEUUI, NEKERGEUUI, et CHOHARGEUUI, et RANGEUUI et IPHGEUUI, HASAGEUUI, et GRAFELD et DULLIFELD, SALAGEUUI, WERINGEUUI, GOZFELD et BADANACHGEUUI. Et decimam de fiscis dominicis, id est, de *Ingulinheim*, *Reodfeld* in RANGEUUE, *Ruodeshof* in FOLCFELDON, ad *Cruzinaha* et *Neristein* et *Omuntestat* et *Albstet*, et *Chuningeshofa* et *Sundurunhofa* et *Gollahofa* et *Berenheim* et *Ikilenheim* et *Wielantesheim* et *Roumfeld*, *Govunheim* in GOZFELDON, et *Pro-zoltesheim*, *Halazesstat* in RATANZGOUUE, *Chuonegeshofe* et item *Chuonegeshove*, et *Salz*, et *Hamulunburg* et *Ipfahofa* et *Tetilabach*, et in *Blaihfeld* et *Heiligbrunno* et *Loyfin. In his fiscis et villis dominicis, ſeu in prædictis pagis tam de illa decima de omni conlaboratu, quod in ipsis fuerit laboratum, ad prædictum locum ſua auctoritate* concesserunt. Quæ omnia enumerat et confirmat Arnulfus imp. diplomate dato 1. Dec. a. 889. *a*), uti et donationem ecclesiarum Slavicarum inter Mœnum et Radanziam a Carolo M. et Ludovico Pio factam *b*).

XXXVI. Faciunt hæc partim etiam ad ſtatuendos antiquos novæ huius diœcesis limites, quorum chorographiam se daturum promisit quidem Eccardus, fidem tamen non liberavit, nec eam alicubi interea reperire licuit. Quum vero plerique dictorum pagorum ad Franciam Orientalem et diœcesim Herbipolensem pertinuerint, eos paucis illustrare visum est ex chronico potissimum Gottwicensi.

*a*) Eccard Franc. Or. T. II. p. 895. *b*) Cod. probat. N. XIII.

WALDSASSIN ſeu *Waldsazzi* Orientalis Franciæ, non autem Alemanniæ, ut Schannatus vult, pagus est, ſitus olim ad ſinistram Mœni ripam inter oppida Wirceburgum et Wertheimium, quamvis a dextra quoque eiusdem fluvii ripa a Wertheimio usque ad urbem Lahram haud modicus districtus illuc ſpectaverit, qui forte ad diœcesin haud pertinuit. In hoc pago ſita erant cœnobia *Zellingen*, *Holtzkircha*, *Neostadium* ſeu *Rorinlacha*, nec non oppidum *Hettingesveld* ſeu *Heidingsfeld*, quod inter et oppidum Wirceburg limites a. 779. examinati et constituti ſunt, cuius rei instrumentum ſistit Eccardus *a*), in quo Schannatus fines diœcesis Wirceburgensis deprehendisse se falso putavit.

TUBERGEWE, *Daburgowe* ſeu *Dubrageve* eiusdem provinciæ pagus ad et inter *Tubarim* ac *Mœnum*, qui etiam maiorem ſaltem partem pagi *Gollachegewe* complexus est. Inter præcipua loca numerabat *Biſchofesheminum* et *Mergentheminum* Teutonicorum magistrorum ſede inclytum.

WINGARTHEIBA ſeu *Wingartweiba*, quem pagum alii perperam in Alemannica Guelforum ditione et Weingartensis in Suevia monasterii confiniis quærunt, ſitus erat in ſilva Odonica inter fluvios Mœnum, Nicarum et Tubarim, ac minorem pagum *Scaplanzgewi* ſub se comprehendit, ubi hodie ſatrapiæ Moguntinæ *Amorbach* et *Allenfeld*, unacum Palatina *Mosbach* reperiuntur, ac etiam *Buchheim* ſeu Buchen, celebris abbatis Gottwicensis Besselii patria, cui ideo in ſuo chronico ſpeciale elogium texuit.

IAGASGEWE ſeu *Iagesgove* Franconiæ pagus circa partem inferiorem fluvii *Iagest* ſeu *Iaxt*, qui ſæpe in traditionibus Fuldensibus occurrit. Nominatur in illo pago villa *Mechitamulin*, hodie oppidum *Meckmühl*, olim ecclesia collegiata.

MULACHGEWE pagus a fluviolo *Mulach* dictus, qui paullo ſupra arcem et oppidum Kirchberg Iagustæ se infundit. Situs erat in districtu Elwangensi inter fluvios *Iagustam*, *Cocheram* et *Tubarim* in hodierno comitatu Hohenloico, ſeque extendit a rivo Bühler, qui *Cocheræ* illabitur, usque ad fluvium *Almonam* ſeu *Altmül*.

NECKERGEUUE et *Necchargove* partim Franconiæ, partim Sueviæ pagus, ad utrumque *Neccari* ſeu *Nicri* fluvii latus extendebatur a fluviolo *Vilusa* prope arcem Teck ferme usque ad castellum *Dilsperg* prope *Neckergemund*. Continebat quoque pagum *Gardachgowe* et *Heilbrunnam* nunc civitatem imperialem, olim *Heilicobrunno* dictam.

COCHARGEWE ſeu *Cochengewe* Franconiæ pagus in confiniis ducatus Alemannici ad fluvios *Cocheram*, unde adhuc vallis Kocherana audit, et *Westheim*. Loca insigniora numerat *Comburg* olim monasterium, nunc collegiatam, *Aalen* et *Halam Suevorum* urbes, ac castrum *Limburg*.

In ſupra allegato diplomate Arnulfi imp. duo occurrunt eiusdem fere nominis pagi, RANGEWI et RATANZGOWE, quos ſcriptores passim confundunt, interque eos etiam chronici Gottwicensis auctor *b*), *Rangewe*, et *Ratingow* unum eundemque pagum ſtatuens. Hos tamen recte distinguit Frisius *c*) ac recens Falckensteinius et Hanselmannus, ut tamen in utriusque ſitu haud conveniant. Pagi vero

RATENZGOWE ſitum nuper produxit auctor deductionum de Bambergensis episcopatus iure territoriali ſuper *Fürth* *d*) vernacule editarum Bambergæ a. 1774. ac idem fere est, quem citatum chronicon pago RANGEVE tribuit, plurimis tamen omissis, et aliis ex RANGOVE insertis.

*a*) Franc. Or. T. I. p. 674. *b*) T. II. p. 734. *c*) Ludewig Script. Wirceb. p. 424, 413. ſeqq.
*d*) Pag. 12. ſeqq.

Extenditur amplus hic tractus a *Radantia* fluvio (*Rednitz*) dicto ab oriente a pago *Nortgowe* ſeu hodierno districtu Egrano et Palatinatu ſuperiore ad utrumque *Radantiæ* latus ex uno quidem usque ad pagos *Hegouue* et *Iphigewe*, ex altero ad pagum *Volcfelt*, et a confluentia Mœni et Radantiæ ſuperius ad pagum *Grabfeld* et partem pagi *Banzgowe*. Versus meridiem usque ad pagum *Rangove*, et ad ſeptentrionem usque ad ſuperiorem *Banzgowe* et ſilvam Nortwald.

Prædia autem, castra, oppida, vici et villæ in hoc pago ita in citata deductione recenceantur antiquis et modernis nominibus expressa: prædium *Halſtat*; prædium VORCHEIM nunc oppidum, cum ſequentibus villis illuc pertinentibus: *Adelbalmesbove* Adelsdorf, *Affalterbach* Effeldrich, *Aribinbach* Errenbach, item *Aribinbach* Errenbach ſuperior et media, *Bettesigelon* Petensiegel, *Binezberc* Binzberg, *Drogenboue* Kanernhofen, *Haselaba* Haſslach, *Hecilesdorf* Hezeldorf, *Herigoldesbach* Herlsbach, *Husa* Hausen, *Lintelbach*, *Merdindorf* Mörendorf, *Peiersnorbabe* Bayersdorf, *Sentelbach*, *Seuuaba* Seebach, *Slierbach*, *Stockabe* Stöckig, *Trubeba* Trubach, *Tutelesbach* Kersbach, *Tuosibrunno* Thüsbrunn, *Waldrichesbach* Weillersbach, *Waldrichesstat* Wellerstadt, *Widolfeshova* Weigelshofen, *Wimbilibach* Wimmelbach, item *Wimbilibach* Klein Wimmelbach, *Wisentouua* Wiesenthau. In hoc quoque pago ſita erant villa *Abornes* Ahorn, *Amelinstat* Amlingstadt, *Arnstein*, *Bechhofen*, *Blassinberg* Plassenburg, *Buttenbeim*, *Chulm* Culmbach, *Cunstat* Altenkunstat, castrum *Cunstat* Burgkunstatt, *Drogessongeruite* Drossendorf, *Ebelsfeld* Ebensfeld, *Ebermanstat*, *Eggolvesheim* Eggolsheim, *Elesbach* Aspach, *Elsendorf*, *Euchenreuth*, *Geilenreuth*, *Giech*, *Giechburg* Schloſs Giech, *Gozuuinestein* Göſsweinstein, *Greifenstein*, castrum *Guttenberg*. Prædium HALSTAT, *Heilingstat*, *Heinnersruite* Heinersreuth, *Hirzeid* Hirscheid, HOHSTETE Hochstadt ad Mœnum. Prædium *Holfeld*, *Hohstette* Höchstadt an der Aysch ſeu ad Cisgam. *Illerin* Burgellern, *Kunigeshove in montanis* Künsfeld, *Kupferberg*, *Langheim* cœnobium, *Leiterbach*, *Leugast*, *Lietenfels* Lichtenfels, *Lizendorf*, LONNERSTAT. *Marolſstein* Marlofstein, *Mannech* Mayneck, *Memensdorf* Memmelsdorf, villa *Mistelfeld*, MULINHUSEN Mühlhausen, *Neunkirchen* am Brand olim canonicorum collegium, castrum *Nisten*. *Rabenstein*, *Rodaba* Rodach ſuperior et inferior, *Rosdorf*. Oppidum *Schebezlize* Scheſslitz, *Schlüsselau*, castrum *Scorgastum* Marckschorgast, *Scorgast* Ludwigschorgast, *Sigeboldesdorf* Seybelsdorf, *Sisseling* Seuſsling, SLUSSELFELD Schlüsselfeld, villa *Staffelstein*, *Steinabe* Stadtsteinach, *Steinfeld*, *Streitberg*. *Tungfeld*, *Turnouue* castrum Turnau. *Vrensdorf* Frensdorf. WACHENROLT, *Waldenfels* Wallenfels, *Wartenfels*, *Weischenfeld*. Oppidum *Weismain*, *Wolfsberg*, *Zapfendorf*. Cæterum in chronico Gottwicensi ista adhuc loca in *Ratenzgow* recensentur ex chartis: *Camerin* Kemmeren prope Hallstat, ERLANGUN, *Herolteshusen*, et alia nonnulla. Ex his maiore charactere expressa ad ecclesias Slavicas pertinent, inter Mœnum et Radantiam ſitas, de quibus infra *a*). Atque hic pagus postea ad novum episcopatum Bambergensem totus fere transiit, uti paullo post videbimus.

RANGOWE ſeu RANEGEWI distinctus a priore pagus continet districtum ab *Rezæ Franconicæ*, al. *Retratenza* ſeu *Rezat* origine in Onolsbacensi, cui se dein *Reza* Suevica coniungit, qui ambo dein ad Petersgmunde confluentes nomen *Radantiæ* ſeu *Rednitz* assumunt. Ab ortu pagum *Nortgowe*, ab occasu pagos *Gollabgewe* et ſuperiorem *Sualefeld*, versus meridiem

*a*) Annal. p. 16, 19. et Cod. probat. N. XIII.

*Sualeſeld* inferiorem, et a ſeptentrione pagos *Hegewe* et *Ratenzgowe* conterminos habet. Potiſſima eius loca in chartis memorata hæc ſunt. *Buochinebach* Buchenbach marca in Rangoue, quam Otto III. a. 996. eccleſiæ S. Stephani Moguntiæ tradidit, Henricus II. autem facto concambio a. 1008. eccleſiæ Bambergenſi donavit *a*). Prædium *Uraba* dictum in pago *Rangowe* idem Henricus II. a. 1021. ipſi huic eccleſiæ tranſcripſit *b*), complectebatur *Herzogenaurach*, *Frauenaurach* et *Mönchaurach* cum ſuis pertinentiis. Dicto anno idem imperator Bambergenſi eccleſiæ conceſſit prædium *Cenna* dictum in pago *Rangowe* dictum, ſeu *Langenzenn*, *Oberzenn* et *Niederzenn* *c*). *Halesbrounnen* ſeu Hailsbronn Ciſtercienſe cœnobium. *Suabaha* ſeu *Schwabach* et *Suabheim*, *Ritheim*, *Ritſelt*, *Urheim*, *Urbaresheim*, *Wilantesheim*, *Biergila*, *Hovenheim* et alia loca in pago *Rangewe* Fuldenſi monaſterio tradita *d*). *Tottenheim* et *Windesheim* in pago *Rangowe* *e*). Item caſtrum *Farrenbach* et *Fuhrberg*. *Onoldesbach* ſeu Anſpach *f*). In chronico Gottwicenſi *g*) adhuc in eodem pago notantur *Bernheim* ſeu *Burgbernheim*, *Gullesheim*, hodie Külsheim ad Ciſgam, *Hoveheim*, *Winedesheim* ſeu Windsheim ad Ciſgam. Cæterum pleniorem utriusque huius pagi notitiam ex productis et collatis invicem archivorum documentis utinam non fruſtra exoptat Cl. archivarius Spieſs, qui *h*) brevem pagi *Radenzgau* deſcriptionem ex iisdem fontibus dedit.

Iphigeve, *Ipſgowe*, *Iſſingow* pagus a Beſſelio ad ſiniſtrum Mœni fluvii collocatur inter pagos *Volcſeld*, *Gollachgowe* et *Radenzgowe*, quod ex locorum nominibus probat, quæ in illo pago ſita fuiſſe ex chartis conſtat. Sunt tamen, qui illum inter Coburgum et Mœnum ad fluvium Itiſſam ſeu Itzsch extenſum fuiſſe velint.

Hasageve minime cum *Heſſi*, *Haſſonum* aut *Haſſingove* Saxoniæ, Angriæ aut Heſſorum pagis, quæ homonymia multis impoſuit, confundendus, ad ſilvam *Hasberge*, unde et nomen traxit, ab oppido et præfectura *Wildberg* usque ad oppidum *Frieſenhauſen* extenſus pagus, ſub maiori pago *Grapfeld* olim comprehenſus erat.

Grapfeld, *Grabfeld* ſeu *Graffeld* maximus ex antiquiſſimis Germaniæ pagis ſitus erat in Franconia, et quidem in vaſta ſilva *Buchonica*, totumque diſtrictum inter Thuringiam, Haſſiam et Wetteraviam usque ad Mœnum complectebatur. Hunc vero duplicem diſtinguit Beſſelius, in partem ſcilicet *occidentalem*, quæ initium capiebat a tractu *Ronahæ* ſeu *Röhn* procedens inter fluvium *Ulſtram* per utramque *Fuldæ* fluminis ripam usque ad montana *Vogelsberg*, quibus confinia verſus *Wetteraviam* et *Logengow* olim terminabantur. Pars vero *Orientalis* complectebatur, quidquid intra tractum *Ronahæ* a fluvio *Saala* trans flumen *Werram* verſus *Thuringiam* ad ſilvam Thuringicam usque ad Mœnum verſus orientem ſitum erat. Continebat igitur plures alios pagos minores *Salagewe*, *Aſtfeld*, *Weringow*, *Gozfeld*, *Hasagew*, *Truſali*, *Bantzgowe*, *Baringe*, ac comitatum Hennebergenſem, partem quoque territorii Coburgici et Fuldenſis ſeu Buchoniam; quæ omnia latius proſequitur chronicon Gottwicenſe *i*), ubi etiam eius loca et villæ magnam partem enumerantur, præſertim quoad diœceſin Wirceburgenſem.

Tullifeld ſeu *Tollifeld* pagi *Grabfeld* ſeu *Buchoniæ* portio eſt inter fluvios *Ulſtram* et *Wirraham*, cuius villas recenſet Schannat in Buchonia veteri et citatum chronicon.

*a*) Deduct. Bamberg. N. 13. *b*) Ib. N. 19. *c*) L. c. N. 21. *d*) Schannat Trad. Fuld. p. 288. n. 154. *e*) Cod. Lauresh. T. III. p. 160. et 161. *f*) Cod. prob. N. III. *g*) P. 735. *h*) Archiv. Nebenarb. P. II. p. 67. *i*) T. II. p. 606.

SALAGEWE. Varios ſcriptorum errores in confuſione cognominum fere pagorum in diverſis regionibus ſitorum indicat et corrigit Beſſelius *a*). Noſter hic in Franconia ad fluvium *Salam* ſitus eſſe debuit, quum et *Hamelburgum in pago Salecgovio ſuper fluvio Sala* commemoretur in charta, qua illud Carolus M. a. 777. monaſterio Fuldenſi donavit *b*), et prius iam Carolomannus dux baſilicam in villa *Hamelburg* in pago *Salagewe* S. Burchardo conceſſerat *c*). Situs igitur eius erat inter pagos *Baringe* ſeu *Paringe* et *Grabfeld* orientalem; inter pagos *Aſcfeld* et *Weringew* verſus meridiem; verſus occidentem inter pagos *Wettereiba* et *Sinnachgew*, ac inter *Grabfeld* occidentalem ſeu *Buchoniam* ſeptentrionem verſus. Eminebat in eo palatium et curtis regia *Salz* ad *Salam* a Carolo M. extructa, et a. 1000. ab Ottone III. unacum pago *Salzgovi* ſeu *Salagewe* Wirceburgenſi eccleſiæ donata *d*).

WERINGEWE et *Wernigewe* cognominatus a fluviolo *Werna*, qui haud procul a *Schweinfurto* ſcaturiens, prope vicum *Wernfeld* ſupra *Gemundam* oppidum Mœno illabitur. Hunc Schannatus in Buchonia veteri partem maioris pagi *Grabfeld* ſitumque inter pagos *Aſcfeld* ſeu *Salegewe* et *Gozfeld* in Buchonia ſtatuit.

GOZFELD pagus et comitatus Orientalis Franciæ in *Buchonia* infra pagum *Weringewe* inter Mœnum ac pagos *Volckfeld* et *Waldsazi*, ſub maiore pago *Grabfeld* comprehenſus. Hic ipſa ſede epiſcopali Wirceburgo, *Ochſnofurto*, *Kizinga* aliiſque locis nobilitatur.

BADENEGEWE ſeu *Badanachgowe* pagus ad Mœnum verſus amnes *Gollach* et *Tubarim* non procul Ochſenfurto verſus Werthemium inter pagos *Gollahgewe*, *Ipſigowe*, *Rangewe*, *Tubergow* et *Waldsazin*.

MOINGOWE Franconiæ inferioris pagus a Mœno fluvio dictus ab eius ſiniſtris a Francofurto usque ad Tubarim ſe extendit, ubi pagos *Waldsazin* et *Tubergow* confines habet, ex altera vero parte pagos *Wettereibam* et *Nitahgewe*, ac magnam diœceſis Moguntinæ partem complectitur.

GOLLACHGEWE ſeu *Gollahagowe* Franconiæ pagus a fluvio *Gollaha* ſeu *Gollach* nuncupatur, qui infra *Steinaha* in *Tubarim* denique effunditur, ubi præter alia loca ſita eſt villa *Gollachhofen*, cuius eccleſia a Carolomanno duce ex ſupradictis tradita eſt Wirciburgenſi eccleſiæ.

VOLCKFELD ſeu *Folckfeld* pagus eſt a ſiniſtri Mœni fluminis inter fluvios *Radantiam* ſeu *Rednitz*, *Urabam* ſeu *Aurach*, quæ prope *Bambergam* cum Radantia miſcetur, et *Volckabam*, unde pago nomen, ac Mœnum, eſtque pago *Ratenzgowe* conterminus. In illo pago ſita eſt *Bamberga*, ubi poſtea nova epiſcopalis ſedes erecta eſt, eique pars aliqua adſcripta, ut mox dicemus.

WESTERNGEU ſeu *Weſtergowe.* Quatuor cognomines fere pagos exhibet chronicon Gottwicenſe, unum quidem in Bavaria, alterum in pago ſeu ducatu Alemanniæ, tertium in Thuringia, et quartum in Friſia, nullum vero in Franconia, quem tamen manifeſte prodit charta Ludovici Pii ſuperius citata, in qua ſitæ ſint villæ *Brende* et *Mellrichſtat:* quin immo Friſium eadem aſſerentem carpit. Mentem tamen mutaſſe videtur, meliora interim edoctus, eius auctor in ſuis ad chronicon additionibus *e*), ubi idem diploma allegans ei etiam vicinum *Mellrichſtadio* prope *Rombildam* vicum *Weſternfeld* attribuit, eumque ceu extremam partem pagi *Grabfeld* orientalis verſus fines Hennebergicos agnoſcit.

*a*) Chron. Gottwic. p. 755. ſeqq. *b*) Eccard Franc. Or. T. I. p. 644. *c*) Cod. prob. N. II. et IX. *d*) Schannat vind. litt. coll. II. p. 108. *e*) Pag. 888.

Reſtat adhuc, etſi in ſuperioribus chartis haud commemoratus Franconiæ pagus BANTZGOWE, qui omnia circa vetus caſtellum ſeu hodiernum monaſterium *Banz*, unde nomen traxit, inter fluvios *Mœnum* et *Iteſam* ſeu *Itſch* ſita complectitur. Quæ vero hic dubia movet Beſſelius, ſuis locis *a*) et in hiſtoria *Banthenſis* monaſterii *b*) diſcutiemus.

Cæterum haud omnes Franciæ Orientalis pagos hic recenſere nobis fuit propoſitum, ſed illos duntaxat, ad quos ex primæva fundatione ſeſe Wirceburgenſis epiſcopatus extendit, cuius primævos et genuinos limites vix divinando aſſequi licet. Certum tamen videtur, eius iurisdictionem etiam ſpiritualem non in hos ſolum, ſed et in alios pagos Franconiæ ſeſe extendiſſe, quum utique præter Wirceburgenſem nullus harum partium fuerit epiſcopus, Eichſtadienſi excepto, cuius tamen potiores partes in Nortgovia fuerunt. *Wirceburgenſis* igitur diœceſis primo eius ſeculo protendebatur a Nicaro ad Radantiam et ultra; a Mœno autem, Speſſarto, connexisque ſilvis usque ad fines Bohemiæ, ac inde usque ad Sualafeldam et Nortgoviam, qui pagi diœceſin Eichſtadienſem a Wirceburgenſi diſterminant.

XXXVII. Ampliſſimi tamen antiquitus conſtituti diœceſis limites poſt tria fere ſecula haud parum coarctati et imminuti ſunt, dum a. 1006. Heinricus II. imp. novum epiſcopatum in hereditario ſuo dominio *Babenberg* inſtruere meditabatur. Ad quod tamen legitime perficiendum, Heinricum Wirceburgenſem epiſcopum, in cuius diœceſi ſita erant loca huic operi deſtinata, ſtudioſe cœpit flagitare, ut locum *Babenberg* cum pago *Redenzegewi*, qui in litteris Henrici imp. *c*) comitatus *Ratenzgouuin* dicitur, ſeu partem ſuæ diœceſis de iure ſuo in ius regis transfunderet. Qui petitionibus eius adquieſcens cum communi cleri ſui atque militum nec non totius populi conſilio et conſenſu præfatum locum prædicto pago eius poteſtati tradidit, exceptis tribus parochianis eccleſiis *Wachenrode*, *Lonerſtat* et *Mulchuſen* cum ſuis adiacentiis. Alterius autem pagi, qui *Volcfeld* vocatur, *in quo præfatus locus ſitus eſt*, partem eidem regi conceſſit, ſcilicet de *Babenberg* usque ad flumen *Uraha*, ubi *Ratenzam* influit, et per deſcenſum *Ratenzæ* usque in fluvium *Moin*, et per deſcenſum *Moin* usque ad rivulum *Vichebach* et locum *Fiberiet*, et per aſcenſum rivuli, qui eandem villam dividendo præterfluit, usque in eiusdem rivuli caput et ortum, et a capite illius rivuli ſecundum quod rectius et vicinius poteſt veniri in ſupradictum flumen *Uraha d*). Dictum iam ſupra fuit, in pago *Ratenzgouue* ſitas fuiſſe Slavicas illas eccleſias a Carolo M. et Ludovico Pio eccleſiæ Wirceburgenſi commiſſas; unde tamen parum utilitatis eidem acceſſit, quum tota pene illa terra ſilva fuerit, in qua Slavi habitarunt a Carolo M. ex Saxonia huc tranſlati, unde etiam ipſi epiſcopi in illa longinqua aut nunquam aut raro acceſſerunt, uti ipſe Heinricus Wirceburgenſis Arnoldo Halberſtadienſi epiſcopo faſſus eſt *e*). Quæ ipſa etiam potiſſima ratio fuit, ut in his partibus novus ac proprius epiſcopatus erigeretur, *ut et paganiſmus Slavorum deſtrueretur*, *et chriſtiani nominis memoria perpetualiter inibi celebris haberetur*, uti loquuntur patres ſynodi Francofordienſis a. 1007. hunc in finem habitæ *f*). Cæterum de his conſulenda quoque ſunt, quæ in Henrico I. epiſcopo infra *g*) dicturi ſumus.

*a*) Cod. probat. Num. XXI. XXIII. ſeq. *b*) P. III. Sect. I. N. V. *c*) Cod. probat. Num. XV. *d*) Cod. probat. Num. XIV. XV. *e*) Ludewig Script. Bamb. p. 1116. *f*) Deduct. Bamb. N. V. *g*) Annal. epp. p. 41. ſeqq.

XXXVIII. Wirceburgenſem porro epiſcopatum antiquitus iam in certos districtus fuiſse distributum, quos *archidiaconatus* vocabant, exinde patet, quod iam inde a ſeculo IX. archidiaconi paſſim notentur, qui in aſſignato ſibi districtu iurisdictionem in ſubditum ſibi clerum exercebant eorumque curæ paſtorali ac moribus invigilabant. Hi plerumque ex gremio maioris eccleſiæ cathedralis aſſumti ſub ſe adhuc habebant unum vel plures decanos forenſes ſeu rurales, qui ſuis quisque clericorum Capitulis præerant. Horum archidiaconatuum numerum et ordinem in noſtra diœceſi primum reperi in membraneo codice Formularum tempore Alberti II. Ep. circa medium ſec. XIV. ſcripto, quem mecum e monaſterii ſui ſcriniis gratioſe communicavit Rev.mus monaſterii Ebracenſis abbas EUGENIUS. Inde brevem notitiam damus distributionis totius diœceſis, qualis eo tempore vigebat.

ARCHIDIACONATUS ſunt duodecim, quorum primus annexus eſt *Maiori præpoſituræ* eccleſiæ cathedralis Wirceburgenſis, cuius præpoſitus habet iurisdictionem archidiaconalem in civitate Herbipoli et in omnibus ſuburbiis ipſius, præterquam ultra Mogum, ad Burchardum, ubi parochia ſubeſt *archidiacono* clericorum in *Ochſenfurt.* Habet etiam ipſe præpoſitus iurisdictionem in *Roſperg* et in ambobus *Auwebach* intra limites parochiæ in Haugis conſiſtentibus. Et ad huiusmodi præpoſituram præpoſitus eligitur per Capitulum Herbipolenſe, et per epiſcopum inibi confirmatur; et eſt ſolus archidiaconus eccleſiæ et civitatis Herbipolenſis, ac etiam parochiarum in *Sandis*, in *Bleichbach* et in *Haugis.* Sed alii archidiaconi proprie in eccleſia Herbipolenſi ſunt, et intitulantur ſinguli, ſcilicet ſuorum locorum ſibi limitatorum in diœceſi nominibus.

II. Præpoſitura eccleſiæ *Onolſpacenſis* habet ſibi annexum archidiaconatum, qui habet unum decanum, unum camerarium, et unum *Capitulum* clericorum in oppido *Windsheim*; et huiusmodi præpoſitus aut archidiaconus a decano et capitulo canonicorum eccleſiæ Onolſpacenſis eligitur, et ab Herbipolenſi epiſcopo confirmatur.

III. Archidiaconatus habet tres decanos, tres camerarios et tria capitula clericorum, unum ſcilicet capitulum in oppido *Melrſtat*, ſecundum in oppido *Coburg*, et tertium in oppido *Geyſa.*

IV. Archidiaconatus habet tres decanos, tres camerarios et tria capitula clericorum, unum ſcilicet in oppido *Hallis*, ſecundum in oppido *Krewlsheim*, tertium in *Kunzelſaw.*

V. Archidiaconatus habet duos decanos, duos camerarios, et duo capitula clericorum, unum in oppido *Winſperg*, et ſecundum in oppido *Butenkeim.*

VI. Archidiaconatus habet duos decanos, duos camerarios et duo capitula clericorum, unum in oppido *Ochſenfurt*, et ſecundum in oppido *Mergentheim.*

VII. Archidiaconatus habet unum decanum, unum camerarium et unum capitulum clericorum in oppido *Carlſtatt.*

VIII. Archidiaconatus habet unum decanum, unum camerarium et unum capitulum clericorum in oppido *Ipſhoven.*

IX. Archidiaconatus habet unum decanum, unum camerarium et unum capitulum clericorum in oppido *Gerolzhoven.*

X. Archidiaconatus habet unum decanum, unum camerarium et unum capitulum clericorum in oppido *Sweinfurt.*

XI. Archidiaconatus habet unum decanum, unum camerarium et unum capitulum clericorum in oppido *Kizingen.* Iſtos novem archidiaconatus confert epiſcopus Herbipolenſis.

XII. Item eccleſia parochialis *Fuldenſis* habet archidiaconatum ſibi annexum, qui habet iurisdictionem ſuper oppidum *Fuldenſe* et clerum non exemtum populumque ibidem, et ſuper tres parochias ibi propoſitas, videlicet in — — — oppido *Hunfelt* ac *Raſedorff*, nec non ſuper clerum plebaniarum et populos ibidem, excluſis eccleſiis collegiatis ibidem et eccleſiaſticis earundem perſonis cum ſua domeſtica familia. Et huiusmodi parochiam et archidiaconatum Fuldenſem confirmat abbas Fuldenſis, ſed epiſcopus Herbipolenſis ipſum plebanum et archidiaconum ibidem inſtituit et inveſtit, ut eſt iuris. Erant igitur tunc in diœceſi ſedecim capitula ruralia.

In eodem codice Ebracenſi ſubiungitur REGISTRUM ECCLESIARUM COLLEGIATARUM tam regularium quam ſecularium, itemque MONASTERIORUM omnium Ordinum, etiam Mendicantium, et Commendurarum Ordinum equeſtrium S. Ioannis ſeu Melitenſium et Teutonicorum in diœceſi tunc exiſtentium; quorum tamen aliqua tunc necdum exſtiterant, plura autem ibi indicata hodie haud amplius exſtant, vel plane ignorantur, quæ autem in hoc indiculo aſteriſco * notabimus. Hic vero nomina iſtorum indicaſſe ſufficiat, quin omnia iisdem in codice adiuncta adiungere ſit neceſſe.

## REGISTRUM.

I. ECCLESIÆ COLLEGIATÆ. Præmiſſa cathedrali Herbipolenſi, quæ eccleſiæ metropolitanæ Moguntinæ ſubiecta eſt, ſequuntur collegiatæ decanorum et capitulorum canonicorum ſecularium. 1. Eccleſia *S. Ioannis in Haug* ab Henrico I. Ep. Wirceburgenſi fundata et dotata. 2. Eccleſia *Novi Monaſterii* Herbipoli ad locum ſeu ſepulcrum S. Kiliani. Eadem quoque eccleſia ſecundum huiusmodi legem communem eſt ſecundaria poſt eccleſiam cathedralem ibidem, quia ſit prior tempore fundationis, quam ipſa eccleſia in *Hauge*. *NB.* Ipſe ſcriptor huius codicis Michael de Leone ibidem erat canonicus. 3. * Eccleſia *Onolſpacenſis*. 4. * Eccleſia *Orengewenſis* ſeu *Œringenſis*. 5. * Eccleſia *Moſbacenſis*. 6. * Novella eccleſia *Smalkalden*. Hæc a *Bertholdo comite de Henneberg* fundata et dotata fuit, inſtituta et confundata a *Gotfrido* Ep. Herbipolenſi anno Domini MCCCXV. id. vero Sept. *a*). Itaque epiſcopus et eccleſia Herbipolenſis debent ſua iura et conſuetudines in eadem, ſicut in aliis collegiatis ſibi ſubiectis eccleſiis civitatis et diœceſis Herbipolenſis habere, ut patet in litteris inſtitutionis et confirmationis eiusdem. * De eccleſiis in *Rombilt* et *Meckmuhl*, utpote poſterius inſtitutis, nulla hic mentio fieri potuit, uti nec de collegiatis S. *Burchardi* et in *Comburg* tunc adhuc monaſteriis. Eccleſiæ præpoſitorum et conventuum canonicorum regularium: in *Heidenfeld* et *Trieffenſtein* collegiatæ. * Aliæ duæ in *Bircklingen* et *Langenzenn* necdum tunc erectæ erant.

II. MONASTERIA non exemta abbatum et conventuum ORDINIS S. BENEDICTI in civitate et diœceſi Herbipolenſi 1. S. *Burchardi*, nunc eccleſia collegiata. 2. S. *Stephani*, et 3. S. *Iacobi Scotorum* Herbipoli. 4. In Eurenbach ſeu *Nuwenſtat*. 5. In *Amorbach*, quod nunc ad diœceſin Moguntinam ſpectat. 6. * In *Murhart*. 7. * In *Schlichtren*. 8. In *Schwarzach*. 9. In *Theris*. 10. * In *Urach*. 11. Monaſterium in *Camberg* fundatum et dotatum a Burchardo comite de Rotenburg et germanis ſuis Ruckero et Henrico, quorum frater fuit Einhardus

*a*) Vid. infra p. 264. ſeqq.

epiſcopus Herbipolenſis. Nunc eccleſia eſt collegiata. 12. * In *Urawe* fundatum et dotatum a B. Ottone Ep. Bambergenſi. Vocabatur etiam *Mönchaurach*. 13. *Banz*. 14. * In *Steinach* fundatum et dotatum ab Adalberto libero domino de Steinach tunc caſtro, et Alheide de Burlswag eius conthorali anno Dom. MCII. alio nomine *Munchsteinach*. 15. * In *Roten*, al. *Munchrode*, fundatum et eccleſiæ Herbipolenſi oblatum ab Hermanno præfecto ſeu burggravio Miſenenſi, et a Sigefrido Ep. Wirzburgenſi dotatum et inſtitutum anno Dom. MCXLIX, et deinde MCLXXI. ab Heroldo Ep. ibidem cum parochia Guberſtat et plurimis decimis alibi eſt condotatum.

III. Præpositurǽ conventuales O. S. B. 1. * Præpoſitura conventualis et parochialis in *Coburg*, quæ quidem præpoſitura ſed non parochia ſubeſt abbati monaſterii in Salfelt Magunt. diœc. 2. * Præterea ſub monaſterio S. Burchardi prædicto eſt præpoſitura conventualis eiusdem ordinis in *caſtello* montis B. Mariæ Herbipoli: item præpoſitura et conventus monaſterii in *Augea* ſeu *Aub*, ubi etiam parochia eſt eorum. Ibidem in hoſpitali fundata eſt capellania, ab Alberto II. Ep. confirmata *a*). 3. Item ſub monaſterio *Nuwenſtat* prædicto ſunt præpoſitura et conventus monachorum monaſterii in *Rezbach*. 4. * Item ſub prædicto in *Camberg* monaſterio ſunt præpoſituræ et conventus, ſcilicet S. Ægidii in *Klein-Camberg* fundatum et dotatum ab Henrico comite fratre prædicti Burchardi de Rotenburg: item præpoſitura monachorum capellæ S. Martini in petra *zu dem Stein* dicta, a Mechtilde liberæ conditionis matrona conſtructa ac dotata anno MXCI: item præpoſitura zum *Nuſſebaum* capellæ B. Ægidii fundata et dotata a. Dom. MCXXXIII. a Marquardo patre et Marquardo filio, cuius ibidem erat caſtrum zum Nuſsbaum: item præpoſitura ſeu capellania in *Gebsattel* prope Rotenburg, præfato quidem in Camberg monaſterio ſubſiſtentes.

IV. Monasteria abbatissarum et conventuum O. S. B. in diœceſi non exemta. 1. S. *Afræ* Herbipoli. 2. * *Kizingen*. 3. * *Wechterswinckel*; dein Ciſtercienſis parthenon. 4. * Monaſterium et cella ſub caſtro *Viſchberg* fundata et dotata a B. Ottone epiſcopo Bambergenſi, vocatur alias etiam cella S. Mariæ in *Nitartshauſen*, poſtea Ciſtercienſibus attributa in territorio Fuldenſi. 5. * Monaſterium et cella S. Ioannis prope *Wilperg* ſeu *Wildberg*, quæ etiam ad collectas epiſcopales tenebatur. 6. * Monaſterium *Vilsdorf*, dein virorum cœnobium. 7. * Monaſterium ad paradiſum in *Heitingsfelt*. 8. * Monaſterium *Tetwang* prope Rotenburg novum inſtitutum monaſterium prioriſſæ et conventus. Cætera igitur virginum cœnobia infra P. III. recenſita hoc tempore vel necdum extiterunt, aut iam ceſſarunt.

V. Monasteria exemta, et quidem Carthuſienſium. 1. Monaſterium *Angelorum horti* dictum vulgariter *Angelgart* Herbipoli, et Prior et conventus ibi exiſtunt. 2. Monaſterium *Novæ Cellæ*, prope *Gruna*. 3. Monaſterium *Cellæ ſalutis* ſeu in *Duckelhuſen* dictum *Heilscelle*. Igitur codex iſte adhuc ante 1351. ſcriptus, quo primum Carthuſiani huc immiſſi ſunt. 4. *Ostheim* ſive *Pons Mariæ* ſeculo ſequente primum inſtitutus comparere hic nondum potuit.

VI. Monasteria Cistercienſia exemta. 1. Monaſterium in *Ebrach* inſtitutum anno Dom. MCXXXI. monaſterio in Mormund ſubſiſtens. 2. Monaſterium in *Schontal* inſtitutum anno Dom. MCLVIII, ſub abbate monaſterii in Keizsheim ſeu Kayſersheim, diœc. Eyſtetenſis. 3. Monaſterium in *Brunbach*, inſtitutum anno Dom. MCLIIII, ſubeſt abbati monaſterii in Mulbrunnen dioc. Spirenſis, ſubiecti abbati in Nuvenburch dioc. Argent., poſtea ſubiectum

*a*) Cod. probat. Num. CXXII.

eſt Ebracenſi. 4. Monaſterium in *Bilhilthuſen* inſtitutum anno Dom. MCLVI. ſubſiſtens abbati Ebracenſi. 5. * Item novellum cœnobium in *Georiencelle* al. Cella S. Georgii in parochia ze *Roſa* Herbipolenſis dioc. ſub caſtro Franckenberg uff dem Sand, fundatum et dotatum a Bertholdo de Wilbrechterode milite: et idem cœnobium nondum habet abbatem, ſed priorem et conventulum monachorum ordinis Ciſtercienſis, ſubſiſtens immediate abbati monaſterii in Georienthal ſeu Vallis S. Georgii dioc. Mog. 6. * Monaſterium in *Heilsprunnen* inſtitutum anno Dom. MCXXXII, in magna ſui parte eſt ſitum in diœceſi Herbip. ſed chorus eccleſiæ ibidem eſt ſitus in diœceſi Eyſtettenſi, propterea etiam eiusdem diœceſis fore cenſetur, immediate ſubiectum abbati monaſterii Ebracenſis.

VII. Monasteria sanctimonialium ordinis eiusdem abbatiſſarum et conventuum diœceſis Herbipolenſis. 1. Monaſterium ad *Cœli portam*. 2. * In *Schonnawe*. 3. * In *Bullenkeim*. 4. * In *Birkenfeld*. Subſunt abbati Ebracenſi. 5. * In *Margburghuſen*. 6. * In *Frauenrod*. 7. * In *Heilgenthal*. Subſunt abbati in Bilhilthuſen. 8. * In *Meidbrunnen*. 9. * In *Sunnenfelt* in villa Hofſtet fundatum et dotatum a Cunigunde de Sunnenberg, inſtitutum quidem a. MCCLXX. Ambo ſubſiſtunt abbati in Langheim. 10. * In *Selgenthal*. 11. * In *Frauental* ſubſunt abbati in Brunnebach. 12. * In *Gnadental* ſub abbate in Schontal. 13. * Ad *Claram Stellam* ſeu zum *Lichtenſtern* ſitum ſub caſtro Lewenſtein, ſubeſt abbati in Mulbrunnen.

VIII. *Eccleſiæ exemtæ* Ordinis Præmonstratensis. 1. Eccleſia *Cellenſis ſuperior* infra et prope Herbipolim. 2. Eccleſia *Vetzserenſis*. Hæ ambæ immediate ſubſunt Præmonſtratenſi abbati. 3. Eccleſia monaſterii *Cellenſis inferioris*. 4. * In *Scheftersheim*. 5. * In *Sulz* magiſtræ et conventus trium cœnobiorum ſubſunt abbati Cellæ Superioris, uti et 5. * Eccleſia zu den *Huſen*. 6. * Item in *Duckelhuſen*, ubi tamen recte additur *vacat*, quia circa hæc ipſa tempora Carthuſianis conceſſum eſt. 7. Item in *Huſen* ſub Botenlauben, quod tamen a *Huſen* priore diverſum haud fuiſſe videtur, quum unius tantum in annalibus Ordinis mentio fiat. 8. * In *Tronſtatt*, al. *Troiſtatt*. 9. * Item *zu den Frauen uff dem Duringerwald*. Hoc vero quidquid cœnobii fuerit, et ordinis annaliſtæ et nobis incognitum eſt. 10. * Monaſterium ad *pœnitentes* Herbipoli ordinis Præmonſtratenſis S. Mariæ *Magdalenæ* priorisſa et conventus, quod nunc eſt Carmelitarum diſcalceatorum conventus.

IX. Ordo hospitalis S. Ioannis Hieroſolymitani habet generalem magiſtrum, et ſub illo ſunt XVIII. prioratus et priores, ſub quibus ſunt baliæ ſeu balliviæ et baliavii, qui dicuntur in Ordine Theutonicorum commendatores provinciales, alias dicti Lantkomentur, ſub quibus ſunt commendatores conventus in ſingulis domibus. Et idem Ordo S. Ioannis habet in civitate et diœceſi Herbipolenſi domus conventuales ſubſcriptas. 1. In *Herbipoli* domum ad S. Ioannem. 2. In *Bibelriet*. 3. In *Buchele*. 4. In *Kundorf* ſeu *Kuhndorf* in Hennebergico. 5. In oppido *Sluſingen* ſeu *Schleuſsingen*, ubi parochia eſt eorum. Hæc domus a. 1291. fundata adhuc ſubſiſtit. 6. In oppido *Mergentheim*. 7. In *Richardsrode*. 8. In oppido *Rotenburg*. 9. In *Bocksperg*. 10. In oppido *Krutheim*, ſeu *Krautheim*, quod nunc in Moguntinenſi ſitum; ibi parochia eſt eorum. 11. In *Ellenz*, forte *Ellingen* ſeu Œllingen prope Weiſſenburg, alias ſedes commendatoris provincialis Franconiæ. 12. In oppido *Hallis*. De his partim agimus infra, ubi tamen commendæ ex monumentorum defectu omiſſæ ex his ſupplendæ ſunt.

X. Ordo Fratrum Theutonicorum hoſpitalis S. Mariæ in Ieruſalem habet generalem magiſtrum et ſub illo magiſtrum per Teutoniam et alias regiones præter Pruſſiam, ſub quo etiam magiſtro ſunt provinciales commendatores dicti Landkomentur per certas balias ſeu ballivias,

ſed in ſingulis domibus ſuis commendatores conventuum. Et idem ordo habet domos conventuales ſubſcriptas in civitate ac diœceſi Herbipolenſi. 1. In *Herbipoli.* 2. In oppido *Mergentheim.* 3. In oppido *Rotenburg.* 4. In oppido *Munrstatt* ſeu Munrichstatt aut *Münnerstatt*, ubi parochia eſt eorum. 5. In oppido *Swinfurt.* 6. In oppido *Heilprunnen*; quas etiam infra recenſemus, uti et *Hallenſem*, de qua ſilet noſter, addit autem ſequentes ibidem ſupplendas. 7. In *Argzhoven*, aut *Argshoven*, quod Num. ſeq. in capitulo Ipſhove comparet. 8. In *Hutenheim* prope Seinsheim in pago Ipſigowe. 9. In *Virnsperg* ſeu *Viernsperg* in Anſpacenſi, ubi parochia eſt eorum. 10. In *Hornegge* ad Nicrum. 11. In *Nuwenbrunnen* nunc *Neubronn* in Hennebergico. 12. In *Brotfelden.*

XI. *Domus Conventuales quatuor Ordinum Mendicantium:*

*A)* DOMINICANI ſeu fratres Prædicatores, quorum in Ordine ſupremus vocatur Magiſter, et ſub illo ſunt XVIII. provinciales priores, et tam magiſter quam provinciales priores huiusmodi habent ſub ſe vicarios in conventibus provinciarum perpetuos vice eorum, ſed in ſingulis domibus conventuales priores, et in plerisque lectores et curſores. Idemque ordo habet in civitate et diœceſi Herbipolenſi domos conventuales ſubſcriptas. 1. In *Herbipoli.* 2. In *Mergentheim.*

*B)* DE FRATRIBUS MINORIBUS, quorum in Ordine ſupremus nuncupatur Miniſter, ſub quo ſunt provinciales miniſtri et ſub illis cuſtodes in ſingulis cuſtodiis, ſed in ſingulis domibus conventuales Gardiani, et in plerisque lectores et curſores. Et idem Ordo habet in civitate et diœceſi Herbipolenſi domos conventuales ſubſcſiptas. 1. In *Herbipoli.* 2. In oppido *Fulden*, nunc eiusdem diœceſis. 3. * In oppido *Meningen* ſeu *Meinungen.* 4. * In oppido *Coburg.* 5. In oppido *Heilbrunnen.* 6. * In oppido *Hallis.* 7. * In oppido *Rotenburg*, de quibus infra, ubi quædam adhuc recenſentur huius Ordinis cœnobia, poſterius erecta.

*C)* FRATRES EREMITÆ *ordinis S. Auguſtini*, quorum in Ordine ſupremus vocatur generalis Prior, ſub quo ſunt XV. provinciales priores, et in ſingulis domibus conventuales priores, et in plerisque lectores et curſores. Idem quoque Ordo habet in civitate et diœceſi Herbipolenſi domos conventuales ſubſcriptas. 1. In *Herbipoli.* 2. In oppido *Munerſtat.* 3. * In oppido *Schmalkalden.* 4. * In oppido *Windsheim.*

*D)* CARMELITÆ. Fratres ordinis S. Mariæ de monte Carmeli, quorum in Ordine ſupremus vocatur Prior generalis, habens ſub ſe XV. provinciales priores, ſed in ſingulis domibus conventuales priores, et in plerisque lectores et informatores, qui in aliis Ordinibus appellantur curſores. Idem quoque Ordo habet in civitate et diœceſi Herbipolenſi domos conventuales ſubſcriptas. 1. In *Herbipoli.* 2. * In *Vogelſpurg* prope Volkach. 3. In nova civitate dicta in *Salczagewe*, ſeu in *Neuſtatt.*

*E)* SANCTIMONIALES ORDINUM MENDICANTIUM. 1. *Ordinis Prædicatorum*, Priorisſæ et conventus S. *Marci* Herbipoli, * in *Frauenaurach*, et in *Rotenburg*, de quo tamen nihil nobis reſcire licuit. 2. *Ordinis S. Claræ*, abbatisſæ et conventus S. *Agnetis* Herbipoli, et in *Heilsprunnen.*

XII. DE WILLHELMITIS. Exemti fratres Wilhelmitæ habent priorem et conventum domus in *Synderlershuſen* ſeu in valle Roſarum im Sand diœc. Herbipol. prope caſtrum Rosdorff fundati ac dotati a milite dicto de Batza. Habent quoque domum in *Waſungen* fundatam et dotatam a Henrico dicto Schrumpfe milite, et habent ibidem parochiam ſibi incorporatam.

Atque hæc ſunt, quæ ex pretioſo hoc codice Ebracenſi excerpta totius epiſcopatus Wirceburgenſis ſtatum quoad utrumque clerum ſeculo XIV. ſiſtunt, ſimulque brevem indicem eorum exhibent, quæ ſecunda et tertia huius hiſtoriæ parte fuſius tractabimus: adiectis tamen iis, quæ poſtea primum vel addita ſunt vel immutata.

XXXIX. Aliam huius diœceſis diſtributionem ſeculi XV. profert Rev.mus Würdtwein in ſubſidiis ſuis diplomaticis *a*) ex libro ſynodali circa annum 1453, adeoque integro ſeculo poſt Ebracenſem codicem ſcripto deſumtum, in quo tamen omiſſo clero regulari ſoli archidiaconatus et capitula ruralia indicantur, additis ſimul parochiarum ſeu plebaniarum nominibus, quæ vero hinc inde valde corrupta videntur. Nos, ut invenimus, hunc indiculum damus, eo maxime fine, ut totius ſtatus hierarchici ſecularis ante dictam Reformationem notitia habeatur; beneficia tamen ſimplicia adponenda haud cenſuimus, quod huic ipſi fini haud inſerviant.

## I.
## Archidiaconatus.

### Capitulum Kitzingen.

Eiwelſtat plebania. Weſtheim. Thelheim. Ganderſacker. Verſpach. Rimpar. Eſtenfeld. Grumbach. Nider Pleichfeld. Kürnach. Obern Pleichfeld. Bercheim. Eyſslewben. Ettleben. Schlehenreit. Hergoltshauſen. Garnſtadt vicaria. Werneck capella. Zeutzleben primiſſaria. Greüenrheinfeld. Wipfeld. Obern Eyſſelzheim. Har. Buſelzheim. Broſelzheim. Ewrfeld. Schernaw. Tettelbach. Neüsses vicaria. Maynſtockheim S. Kiliani, item S. Gumperti. Kitzingen cum ſuis beneficiis. Hohen. Etwashauſſen. Sulzfeld. Reppersdorff. Erlach. Sunterahuſſen inferior. Rottendorff. Mayn. Suntheim. Buchbrunn vicaria perpetua. Hohenfeld. Alberhofen. Gerbrunn. Hirſchfeld.

## II.
## Archidiaconatus.

### Capitulum Munerſtatt.

Münerſtatt cum ſuis vicariis. Burglawr vicaria. Boppenlauer primiſſaria. Neuſtrwe primiſſaria. Niderlawrung primiſſaria. Maſpach. Tuntdorff capella. Werberghauſſen. Wenckheim. Rannungen. Kyſſige. Nüttingen eccleſia nova. Aſcha. Hawſſen capella. Steynach. Newenſtatt cum ſuis beneficiis. Saltz vicaria. Baſtheim. Hollnſtatt. Wülfferſhuſſen. Eberſpach. Lüttern. Brettenweg cum vicariis. Hellingen. Meylos. Bughem alias Königsberg cum ſuis vicariis. Münſter. Wettrungen. Etthuſſen. Hofheim. Frinſenhuſſen. Goſſmannsdorff. Mechrit. Holzhuſſen prope Schweinfurt. Unfunden. Brotbach. Schweinfurt cum vicariis. Theres. Eorſt. Schonungen. Margſteinach. Hawſſen. Gedem. Grunungen. Kutzſpur. Gelterſheim. Ewrbach. Meydbach. Pferſdorf. Waldſachſen primiſſaria. Ebern. Rewtwiſchdorff capella. Raweneck. Geſſendorff. Burgbreitbach. Schweinſhewpten. Horberg. Emershauſſen. Altenſtein. Lichtenſtein. Merzbach. Stein. Panz. Watzendorff. Greytz. Zewen primiſſaria. Buch. Brunn. Düringſtatt. Mirſpach. Rattelsdorff. Baunach.

Ex poſt temporis una pars huius Capituli *Münerſtatt* ſeparata, et erecta fuit in proprium Capitulum, hodie in *Ebern* nuncupatum.

*a*) T. V. p. 345.

## III.

## Archidiaconatus.

### Capitulum in Gerolzhoven.

Colitzheim. Herelheim. Zwithsheim. Grettstatt. Sendelfeld. Eüerheim inferior et ſuperior. Dampsdorff. Falckenstein. Eschenaw. Hassfurt. Gnetzgew. Westheim. Zeyl. Lawter. Eltmen. Stettfeld. Trunstatt. Heyde ſuperior. Lodengerewt. Burg Ebrach. Reichmannsdorff. Prelsdorf. Windheim ſuperior. Wustvilde. Schwarzach ſuperior. Bittbach. Dingeltshussen. Traustatt filialis. Gerolzhoven. Schalckfeld. Windheim inferior. Volckach. Kirchberg. Volckach ſuperior. Halberg vicaria. Eychfeld. Ostheim.

## IV.

## Archidiaconatus cum duobus Capitulis.

### Capitulum Iphoven.

Iphoven cum ſuis beneficiis. Eynersheim. Langheim minor. Gerlachshusen. Sumerach. Wilentzheim. Brissenstatt. Hochfeld. Bernheim. Wisenbrunn. Langheim maior. Bruck vicaria. Herntzheim. Stefft. Stadt Schwarzach. Stephansberg capella. Obernbreit. Castell. Wiessentheyd. Rüdenhaussen. Rödelsee. Stewnzenn. Dornheim. Sickershausen. Froschstockheim. Helnitzheim. Suntheim. Reypersdorf. Stadel Schwarzach. Kirchschönbach. Geisselwinde. Altmannshusen. *In plaga Uffenheim.* Freytenbach. Langensteinach. Holzhusen. Eckperckhoffen. Orenbach. Golnhoven. Sownsheim. Hittenheim. Welbhusen. Lippurghusen. Tawrzell. Gnetzheim. Nidern Helscheim nova. Argshoven. Eckperghoven. Wollmerbach. Adelhoven. Waldmannshoven. Pfalnheim. Hemersheim. Gulichsheim. Obernztelsheim. Bertheim. Rodheim. Geysselheim. Uffenheim cum ſuis vicariis. Utenhoven. Ulsenheim. Weigenheim. Reysche. Rodlein. Geckenheim. Ippesheim. Büllenheim. Ostheim. Ecclesia parochialis in Aw.

### Capitulum Schlusselfeld.

Bibart. Stadt Hochstetten. Mühlhausen. Tuttenstetten. Schornwissach filialis eius. Schweinfeld inferior. Wachenrode. Obernhochstetten. Crätz Sambach. Schlüsselfeld. Dyspeck. Stubach. Obern Scheinfeld. Schnotzenbach. Aspach. Taschendorff. Gremsdorff. Etzelskirchen. Schawrheim. Bawtenbach. Dachsbach. Grossenbirckach. Nidernleimbach. Obernleimbach.

## V.

## Archidiaconatus cum duobus Capitulis.

### Capitulum Winsheim.

Winsheim cum ſuis vicariis et beneficiis. Herbelzheim vicaria. Nordheim. Ostheim. Grassalz. Kottenheim. Etzelnheim. Deytenheim. Ulstatt. Langenfeld. Hanbüchel. Nesselbach. Newenstatt cum ſuis beneficiis. Birckenfeld. Altheim. Rudisbrunn. Menheim ſive Kawbenheim. Ipsheim. Trawtzkirchen. Kirchfarenbach. Wilhelmsdorff. Dietenhoven. Linden. Leuckersheim. Ickelnheim. Westheim. Urfersheim. Stensheim. Wibelsheim. Schwebheim. Ergersheim. Pfaffenhoven. Rudelshoven. Ermbrechtshoven. Buchheim. Habelzheim. Morelbach. Burckbernheim cum vicariis. Bergel. Niedernhoven. Ottenhoven. Obernzenn. Sundernach. Altenbawr. Lawtershusen. Lerpawr. Leonrod capella. Steinach. Rotenburg. Kirchberg. Schweinsdorff. Gattenhoven. Steinfeld.

Schetkenbach. Otelshoven. Gesler. Gastenfelden. Buch uf dem wald. Sulzbach. Betwer. Winolsbach. Awrbruch. Bibert. Stetperg. Kolnberg. Binzwang. Dagstetten. Egenhusen. Flachslanden. Ruglant. Petersawrach. Habeltsheim. Habersdorff. Oberndorff.

### Capitulum Zenn.

Langenzenn monasterium. Lewbendorff. Emskirchen. Herzogenawrach. Buchenbach. Frawenawrach. Zyrendorff. Fach. Regelsbach. Rostal. Buttenbach capella. Amersdorff. Burgles. Grossen Hasslach. Cadelzburg.

## VI.

## Archidiaconatus cum tribus Capitulis.

### Capitulum Kreylsheim.

Kreylsheim. Hoenberg. Zell. Stumpfach. Honhart. Iachsem. Grindelhart. Altenmunster. Roſsfeld. Lewckershusen. Lustenau. Ewrichshausen. Ruprechtshausen. Ulshoven. Lentsidel. Kirchberg capella. Trenspach vicaria. Iagstatt capella. Margencapellen. Sattelsdorff. Neidenfels capella. Grimigen. Wallenhusen. Hengsfeld. Scheiwbach. Rode. Michelbach. Rewbach. Bretheim. Hawsen. Wildenholz. Wetringen. Gailnaw. Wernitz. Ostheim. Gamesfeld. Newsses. Insingen. Gebsettel. Lewtzenbrunn. Smalfelden. Westkershusen. Bockenfeld. Kurnberg. Leutzendorff. Love. Vinsterloch. Pettefeld. Dyepach. Erzberg.

### Capitulum Ingelfingen.

Michelbach. Plafelden. Amlungshagen. Bullingsbach. Ettenhusen. Dirbach. Krautheim. Klebhe capella. Cunzelsaw. Steinkirchen. Kochenstetten. Ingelfingen. Nidernhalle. Crispenhoven. Forchtenberg. Reugershusen. Dorzbach. Westernhusen. Sundeldorff. Marlach. Winzenhoven. Mulffingen. Iagsberg capella. Holnbach. Ottelshusen. Bechlingen. Steynach. Iungelzhusen. Orlach. Braunsbach. Tettingen. Trawenzell. Orendelsal. Amlingshausen. Belsenberg. Syndringen. Newstetten. Gynspach. Hobach. Elringen. Büchenbach. Regenbach. Gerbrunn capella. Ernspach. Lewpach capella. Asamstatt.

### Capitulum Hallis.

Hallis S. Michaelis. Hallis Sueviæ parochialis cum ſuis capellis et vicariis. Muncken. Enslingen. Orlach. Gellwingen capella. Tungenthal. Hastelzfelden. Zimmern. Aspach. Altdorff. Stockelburg. Velberg capella. Suntheim. Tann. Katzbuhel. Zell. Geisselbrechtshoven. Obernfischach. Nidernfischach. Michelbach. Ewrendorff. Geylendorff. Münster. Schonberg. Sulzbach. Lawffen. Bihberg. Obernrode. Murhart. Westheim. Sonzenbach. Bibersfeld. Gotwoltshusen. Michelfeld. Geilenkirchen. Reinsberg. Scheffach.

## VII.

## Archidiaconatus cum duobus Capitulis.

### Capitulum Weinsperg.

Gundelzheim. Tuttenburg. Buchenheim. Offenheim. Grissen ſuperior. Nuſsbaum capella. Herbolzheim. Nydenaw. Teytingen. Alnfeld. Asamstadt. Zuttlingen. Siglingen. Odheim. Kochenthurn. Dahenfeld. Newenstatt am Kocher. Goſsheim. Kochensteinsfeld. Erelbach. Ornburg.

Pretach. Bewttingen. Bitzfeld. Walpach. Schwabach capella. Oringen. Eschelbach. Newenfels capella. Newenstein capella. Wallenberg capella. Kirchensal. Maynhart. Hembach. Wustenrode. Affeltrach. Lewenstein cum ſuis beneficiis. Hehenriet. Groppenbach. Bilnstein cum ſuis beneficiis. Wonnenstein. Ilsfeld. Hausen capella. Osthen capella. Westhem. Lawffen cum ſuis altaribus. Talheim. Fleyen. Horcken. Suntheim. Heylbrunn cum ſuis altaribus et capellis. Schurberg capella. Giſswangen. Erlach. Weinsperg cum ſuis altaribus. Sulzbach. Elnhoven capella. Eberstatt.

### Capitulum Bucheim.

Cellis. Wildenberg capella. Amerbach. Düren. Hoppficken. Heymstatt. Bucheim cum ſuis altaribus. Hedicken. Waldstetten. Hartheim. Bulverkeim. Bretzicken. Gerstetten. Altheim. Syndelzheim. Rosenberg. Hirſslanden. Berlitzheim. Hoenstatt. Schillingstatt. Witstatt ſuperior et inferior. Ballenburg. Aschhusen. Hangen. Merchingen. Kessach. Berlichingen. Biringen. Iaſshusen. Olnhusen. Widern. Ruſsheim. Meckmüllen cum ſuis beneficiis. Rohecken. Senfelt. Mühlbach. Katzenthal. Schefflenz inferior et ſuperior. Bullecken. Moſsbach. Elnz. Zimmern. Bynheim. Gerach. Eberbach. Framolt. Rodenberg. Lorcken. Burcken. Talheim. Rudelsbach. Schwabhusen. Eychelzheim. Holderbach. Lymbach. Bodicken. Eberstatt. Slierstatt. Adeletzheim. Hedgebawr. Hymspach. Osterburcken. Boffsheim. Getzicken. Ripperck.

## VIII.

## Archidiaconatus.

### Capitulum Carlstatt.

Carlstatt. Ewssenheim. Aschfelt. Buler. Goselzheim. Hunsfeld. Holdrich. Carspach. Bolzmünster. Greüendorff. Dytolfrode. Burcksyna. Ryneck. Mytelsina. Awraw. Gossaw. Grünau. Mortgars. Schwarzenfels. Rannugk. Stepfritz. Slüchtern. Herolz. Ditrichshusen. Poppenhusen. Weyers. Gersfeld. Heydenhusen. Bruckenau. Schuntra. Tulbe monasterium. Ertall. Dyppach. Eschenbach. Hammelburg cum vicariis. Pfaffenhusen. Fuchstadt. Langendorff. Elffrichshausen. Maldolshusen. Trymberg. Ewrdorff. Greſstal. Swebrit. Beyngesanck. Arnstein. Tüngen. Gawnheim. Binſsfeld. Suntheim. Stetten. Retzstatt. Hochein. Gundersleben. Tungersheim. Retzbach. Gemünden. Hettenstatt. Grüssen. Remlingen. Uttingen. Helmstatt. Hawsen. Altertheim. Wegencken. Newbrunn. Urfarkempach. Reichelsheim. Dorelsbawr. Waltenhusen. Sachsenhusen. Wertheim cum ſuis vicariis. Haſslach. Tordingen. Fanlenbach. Schönbrunn. Eichel. Bettingen. Triffenfeld. Dyffenthal. Heydenfeld. Curbach. Rottenfels. Ursprungen. Billingshusen. Steinfeld. Wissenfeld. Hofstetten. Carlburg. Malbach. Lawtenbach. Himmelstatt. Zellingen. Leynach. Wernfeld.

## IX.

## Archidiaconatus cum tribus Capitulis.

### Capitulum Geysa.

Geysa. Steyta. Thann. Northeim. Suntheim. Katza. Freytelshusen. Helmershusen. Orenshusen. Fischbach. Ternbach. Rosa. Weyler. Bremen. Pfersdorff. Botlar. Frydewalt. Schencklengsfeld. Mons S. Petri prope Hersfeldiam. Taffta. Kastorff. Eyterfeld. Hildemanns. Buchenaw. Kyrspanshusen. Cryspans. Neuenkirchen. Huna. Hunfeld. Eschenbach. Goſshart. Hoff Bibra.

Margrethenhan. Geyſsmar. Haselstein. Hiltrichs. Zeytolfs. Salmanns. Sletzenrode. More. Rambach. Marpach. Rockenstal. Mackenzell. Steyna. Roſsbach. Monspach. Eychenzell.

### Capitulum Mellrichstatt.

Mellerstatt cum ſuis vicariis. Oberstrew. Frickenhusen. Nidern Elspe. Obern Elspe. Urspringen. Suntheim. Northeim. Fladungen. Ostheim. Lichtenberg capella. Stogheim. Hermannsfeld. Meyningen cum vicariis. Helb. Landeswerde. Bettenhusen. Herpffe. Waltdorff. Wasungen. Smalkalden. Steinach. Cella Blasii. Sula. Eberthusen. Wenshusen. Swartza. Kundorff. Rore. Oberstatt. Marisselt. Theymar. Lütelsdorff. Eynhawsen. Lengfelt. Reüerit. Fachdorff. Nidern Maſsfeld. Rotsenhusen. Gedorff. Northeim prope Berckach. Rentwershusen. Bibra. Quiefelt. Romhilt. Alten Romhilt. Heyn. Berckach. Hentingen. Beringen. Menthusen. Irmelzhusen. Miltz. Gleichen am berg. Gich. Königshoven cum ſuis vicariis. Bartdorff maior et minor. Sultzdorff. Merckershusen. Eyſsfeld. Awe. Buntdorff. Alſsleuben. Trapstatt. Herbstatt. Sultzfeld.

### Capitulum Coburg.

Coburg. Esevelt. Helpurg. Westhusen. Sleusungen. Seſslach. Hilpurghusen. Meder. Rotha. Schalcken. Simperg. Effeltrich. Ottingshusen. Eyſshausen. Garnstatt. Gawerstatt. Mugkberg. Lawter. Gedem. Wisenbrunn. Getingshusen. Heltungen. Lintenaw. Grub. Ummerstatt. Heilistorf. Ahorn. Memelstorff. Steltzen. Eylsa. Heſsburg. Feylsdorff. Poppenhusen. Eberstorff. Burden. Vechen. Eselrieth. Rawenstein. Strewſsdorff. Geylershusen. Stresenhusen. Oberlint.

## X.

## Archidiaconatus cum duobus Capitulis.

### Capitulum Ochsenfurth.

S. Burckardi Herbipoli. Huchbawr. Heydingsfeld cum ſuis beneficiis. Guttenberg. Hattenhusen. Reichenberg. Lindflur. Hungershusen. Fuchstatt. Sumerahusen ſuperior. Winterahusen. Goſsmannsdorff. Ochsenfurt minor. Ochsenfurt maior cum ſuis vicariis. Zeybelrode. Frickenhusen. Niedernbreit. Segnitz. Gnottstatt. Ehenheim. Mertesheim. Hopferstatt. Olingen. Baldersheim. Burgrode. Gelichsheim. Rietheim. Aufstetten. Rottingen cum vicariis. Stalldorff. Bernsfelden. Sechsenheim. Sundernhoven. Gewertersheim. Bütthart. Wittighusen. Kircheim. Sulzdorff. Altersheim. Herichsheim. Ewrhusen. Wolchusen. Gewkönigshoven. Ackelshusen. Hoenstatt. Tarstatt. Eyichsfeld. Giebelstatt. Ingelstatt.

### Capitulum Mergentheim.

Smernbach. Liental. Münster. Rinderfeld. Newenbrunn. Biberern. Schrotzberg. Dirpach. Obernstetten. Nidernstetten. Arvewlshusen. Lawtenbach. Weickersheim cum ſuis beneficiis. Nassach. Schefftersheim. Tawberrettersheim. Elpersheim. Marckelsheim. Ruselhusen. Pfutzingen. Zimmern. Lawden. Igersheim. Wachbach. Newenkirchen. Mergentheim. Obernlawden. Heckfeld. Königshoven. Obernbalbach. Nidernbalbach. Ottelfingen. Schüpff. Sweigern. Babstatt. Wolchingen. Uffingen. Philigpant. Althusen. Boxberg. Angertal. Sachsenflur. Cæterum omissi ſunt archidiaconatus Herbipolensis et Fuldensis, qui in ſuperioris ſeculi registro recensentur, in quo ſedecim capitula enumerantur, in nostro autem octodecim, divisione interim et mutatione etiam facta.

XL. Aſt abhinc ſeculum necdum effluxerat, dum illorum numerus plurimum decreſceret ex immutatione ſacrorum in his quoque terris invaleſcente, qua Wirciburgenſis epiſcopus non quidem limites, ſacram tamen iuriſdictionem in plurimis territoriis amiſit, quorum domini cum ſuis ſubditis Auguſtanæ confeſſioni nomen dederunt, marchiones nimirum Culmbacenſis ſeu Baruthanus et Onolsbacenſis, duces Palatinus et Wirtembergenſis, principes quoque et comites Hennenbergici, Hohenloici, Meinungenſes, Hildburghuſani, Coburgenſes, Wertheimenſes, aliique cum variis urbibus Heilbrunn, Hall, Rotenburg, Schweinfurt, in quorum terras vel earum partem ſaltem ſacra Wirceburgenſium præſulum poteſtas ſeſe extendebat, quæ dimidiam facile diœceſis partem conſtituebant. Atque hoc ipſo nonnulli archidiaconatus, ſeu capitula ruralia, eccleſiæ collegiatæ, et maxima cœnobiorum multitudo catholicæ religioni et diœceſi periere, prouti ſuis locis videbimus.

Immutato hoc modo rerum ſtatu, et ſublato quoque archidiaconorum officio, imminutus quoque fuit Capitulorum numerus; in ſtatutis enim ruralibus Iulii epiſcopi a. 1584. pro clero ſuæ diœceſis *a*) hæc tantum novem capitula ex antiquis enumerantur *Buchheim*, *Schluſſelfeld*, *Iphoven*, *Mergentheim*, *Ochſenfurt*, *Mellerſtadt*, *Münnerſtatt*, GEROLZHOVEN et *Carlſtatt*, additis duobus novis ex amiſſorum reliquiis *Dettelbach* et *Ebere*. Defecerunt adeo capitula *Kitzingenſe*, *Winsheimenſe*, *Zennenſe*, *Creilsheimenſe*, *Ingelfinganum*, *Hallenſe*, *Weinſpergenſe*, *Coburgenſe* et in *Geyſa*. Succeſſu vero temporis alia eorundem Capitulorum diſtributio fuit facta, ut conſtat ex Friderici Caroli epiſcopi inſtitutione adorationis perpetuæ SS. Sacramenti pro ſua diœceſi a. 1737. *b*), in qua quindecim eiusmodi Capitula recenſentur; et quidem ex antiquis *Carolſtadianum* inferius et ſuperius, *Oxovianum* ſeu *Ochſenfurtenſe*, *Iphovianum*, *Mergentheimenſe*, *Buchheimenſe*, *Munnerſtadianum*, *Schluſſelſeldenſe*, *Mellerſtadianum*; nova vero *Dettelbacenſe*, *Gerlocurianum*, quod tamen ipſum antiquum *Gerolzhoven* eſſe videtur, *Bühlerthalenſe*, *Neccarſulmenſe*, *Crautheimenſe*, *Moſbacenſe* et *Eberanum*.

XLI. Supereſt tertia limitum diœceſis mutatio ex ſeparatione eccleſiæ Fuldenſis recentius facta, quamvis multo minore diſpendio, ac cum Bambergenſi actum. Vidimus iam ſupra ex codice Ebracenſi, adhuc ſeculo XIV. ſpecialem Wirceburgenſem archidiaconum fuiſſe conſtitutum in eccleſia parochiali *Fuldenſi*, cum iuriſdictione in ipſo oppido et clero non exemto ac tribus parochiis earumque clero, exceptis tamen eccleſiis collegiatis ibidem et earum perſonis ac familia domeſtica. In quem ſenſum etiam Browerus *c*) *antiquitus*, ait, *orta* eſt *illa diœceſium*, Moguntinæ ſcilicet et Wirceburgenſis, *diſtributio*, *ut quod in Thuringos pateſcit trans amnem* Fuldam, *Moguntinam; quod in Franciam orientem verſus*, *Wirceburgenſem epiſcopen ſpectaret. Auguſta quoque rivi intercapedine hinc loca videas Ciſamnenſia Herbipolenſi, inde alia ex adverſo Moguntinæ olim diœceſi contributa.* Excipitur tamen hic ipſum monaſterium, quod cum ſuis perſonis ſacræ Sedi Apoſtolicæ immediate erat ſubiectum, ac, ut in codice Ebracenſi legitur, ſub ſe habebat monaſteria et eccleſias collegiatas exemtas, ſcilicet *Montis S. Petri* prope Fuldam, *Montis S. Michaelis* Fuldenſis, *Montis B. Mariæ Virginis* prope Fuldam, monaſterium in *Holzkirchen*, in *Tulba*, et ſanctimonialium in *Rora*: quorum præpoſiti ſunt de capitulo et conventu eccleſiæ Fuldenſis: nec non eccleſias collegiatas canonicorum ſecularium, S. Crucis in *Hunfelt* et in *Raſdorff*. Enatæ exinde ſunt variæ controverſiæ inter Herbipolenſem et Fuldenſem eccleſiam de iure diœceſano in territorio Fuldenſi, quod quælibet ſibi competere prætendebat.

*a*) Gropp Script. Wirceb. T. I. p. 445. *b*) Loc. cit. T. II. p. 24. *c*) Antiq. Fuld. p. 8.

Agitabatur hæc lis præcipue ab a. 1611, variis quidem transactionibus, ut videbatur, ſopita, identidem tamen recrudescens, donec nova conventione a. 1751. inter utramque partem inita fuit decisa, qua ecclesiæ Fuldensi territorium ſeparatum ac ius diœcesanum in eiusdem clerum et populum asseritur, quædam parochiæ permutantur, et ſtati utriusque ecclesiæ iurisdictionis limites præfiguntur: quæ omnia potissimam partem Benedictus XIV. P. confirmavit bulla data d. 1. Oct. a. 1752. *a*), ac per aliam paullo post d. 5. Oct. dictam abbatiam in proprium episcopatum erexit *b*). Ut vero Wirceburgensem ecclesiam aliquo modo ſervaret indemnem, per alias apostolicas litteras eodem die et anno datas *c*) cuilibet illius episcopo honorificam præferendæ ſibi Crucis prærogativam palliique usum concessit, ſalvo tamen in omnibus iure metropolitico ecclesiæ Moguntinensis.

XLII. Constitutis hoc modo ſacris limitibus tota nunc diœcesis in ſedecim capitula dispescitur, quorum et ſubiectarum illis parochiarum nomina, prout in ſchemate expressa leguntur, coronidis loco ſubiicimus.

I. Arnstein Capitulum. Parochiæ 23. Arnstein. Aura. Beinsgesang. Binsfeld. Brebersdorf. Büehold. Buhler. Burckhausen. Elfershausen. Euerdorf. Fuchsstadt. Gainheim. Greſsthal. Gundersleben. Hundsbach. Kramschatz. Langendorf. Müdesheim. Oberthalb. Ramsthal. Rettstadt. Schwebenried. Sulzthal.

II. Buchheim Capitulum. Parochiæ 26. Aschhausen. Ballenberg. Berlingen. Berolsheim. Bieringen. Billigheim. Bretzingen. Bochsthal. Buchheim. Eubigheim. Freudenberg. Gerichstetten. Gissigheim. Götzingen. Hartheim. Höpfingen. Hüngenheim. Oberkeschach. Oberwittstadt. Osterburckheim. Pülferingen. Rosenberg. Schweinberg. Waldmühlbach. Waldstetten. Windischbusch.

III. Buhlerthan Capitulum. Parochiæ 9. Almerspan. Bühlerthan. Bühlerzell. Hausen an der Roth. Hohenberg. Iagstzell. Lüstenau. Steinbach. Stumpfach.

IV. Dettelbach Capitulum. Parochiæ 37. Bergrheinfeld. Bergtheim. Bibelrieth. Burggrumbach. Dettelbach. Dippach. Eivelstadt. Escherndorf. Esleben. Estenfeld. Ettleben. Euerfeld. Fahr. Gerbrunn. Grafenrheinfeld. Hausen et Fehrbrück. Hergolshausen. Heydenfeld. Hirschfeld. Kitzingen. Kürnach. Lindach cum Gernach. Maynsondheim. Oberpleichfeld. Proselsheim. Randersacker. Rimpar. Rottendorf. Schlehenrieth. Schwanfeld. Sulzfeld ad Mœnum. Theilheim. Versbach. Untereussenheim. Waycholshausen. Wipfeld. Zeuzleben.

V. Ebern Capitulum. Parochiæ 21. Altenbanz. Autenhausen. Baunach. Burgpreppach. Döringstadt. Ebern. Friesenhausen. Gemeinfeld. Gereuth. Goſsmannsdorf. Graitz. Hofheim. Iesserndorf. Kaltenbrunn. Kirchlauter. Leützendorf. Mürsbach. Pfarrweisach. Radelsdorf. Seſslach. Zeulen.

VI. Gerolzhofen Capitulum. Parochiæ 32. Astheim. Dinckolshausen. Donnersdorf. Eltmann. Falckenstein. Franckenwinheim. Gaibach. Gerolzhofen. Gnetzgau. Grettstadt. Haſsfurt. Herlheim. Kolitzheim. Limbach. Obereuerheim. Ober Heyd. Oberschleichach. Oberschwarzach. Obervolckach. Präppach. Priesendorf. Prölsdorf. Stammheim. Stettfeld. Theinheim. Trunnstadt. Unterhohenried. Untersteinbach. Volckach. Westheim. Zeil. Zell.

VII. Iphoven Capitulum. Parochiæ 22. Altmannshausen. Dornheim. Düllstadt. Dümbach. Gerlachshausen. Grossenlangheim. Herbolsheim. Hüttenheim. Iphoven. Marckseinsheim. Nordheim. Reubelsdorf. Rödelsee. Rotheim. Sommerach. Sondernau. Stadel-Schwarzach. Stadt-Schwarzach. Tiefenstockheim. Ullstadt. Wiesentheid. Willanzheim.

VIII. Carlstadt Capitulum. Parochiæ 50. Aschfeld. Birckenfeld. Carbach. Carlstadt. Dörlesberg. Dürrbach. Erlabrunn. Erlenbach. Eussenheim. Gemünden. Gössenheim. Greussenheim. Hasenlohr. Helmstadt. Hettstadt. Heydenfeld. Himmelstadt. Hofstetten. Holzkirchen. Homburg ad Mœnum. Karlburg. Karsbach. Laudenbach. Leinach. Lengfurt. Margetshöchheim. Mühlbach. Neubrunn. Neustadt cum filiali Erlach. Obersinn. Pfloxbach cum filiali Sendelbach. Reuchelheim. Retzbach. Rottenfels. Schollbronn. Stadelhofen. Steinbach. Steinfeld. Stetten. Thüngersheim. Trennfeld. Veitshöchheim. Unterwittbach. Urspringen. Wenckheim. Wernfeld. Wiesenfeld. Wolfsmünster. Zell. Zellingen.

*a*) Bullar. magn. T. XIX. p. 9. *b*) Ibid. p. 15. *c*) Cod. probat. Num. CXV.

IX. Krautheim Capitulum. Parochiæ 20. Ailrungen. Americhshausen. Aſsmannstadt. Bartenstein. Clepsau. Gommersdorf. Iagstberg. Kautheim. Kupferzell. Marlach. Meſsbach. Mulfingen. Nagelsberg. Oberginsbach. Pfedelbach. Rengershausen. Sindeldorf. Waldenburg. Westernhausen. Winzenhofen.

X. Mellerichstadt Capitulum. Parochiæ 39. Alsleben. Bischofsheim. Breitensee. Bundorf. Burgwalbach. Euershausen. Eusenhausen. Fladungen. Frickenhausen. Grossenbardorf. Grosseneibstadt. Hendingen. Herbstadt. Hilders. Kleinbardorf. Kleinsassen. Königshoven. Mellerichstadt. Merckershausen. Mittelstreu. Nordheim. Oberbach. Oberelzbach. Obereſsfeld. Oberfladungen. Oberstrey. Reulbach. Simmershausen. Sterpberg. Stockheim. Sulzfeld. Trappstadt. Unterelzbach. Untereſsfeld. Wegfurt. Wechterswinckel. Weiſsbach. Wolfmannshausen. Wüstensachsen.

XI. Mergentheim Capitulum. Parochiæ 28. Bieberehren. Böttigheim. Bochsberg. Distelhausen. Dietigheim. Gebsattel. Gerchsheim. Gerlachsheim. Grünsfeld. Haltenbergstetten. Heckfeld. Igersheim. Ilmspan. Impfingen. Kuprichhausen. Lauda. Laudenbach. Markelsheim. Mergentheim. Oberbalbach. Œsfeld. Roth. Schillingsfürst. Stuppach. Tauberrettersheim. Vilchband. Unterbalbach. Unterschüpf.

XII. Mosbach Capitulum. Parochiæ 12. Dallau. Dillsberg. Eberbach. Lehrbach. Mosbach. Neckarelz. Neckargemünden. Neckargerach. Rittersbach. Scheflenz. Stimpfelbrunn. Wiesenbach.

XIII. Munnerstadt Capitulum. Parochiæ 50. Altenmünster. Arnshausen. Bastheim. Birnfeld. Bremich. Brend. Buch. Burkartroth. Burklauer. Dundorf. Ebenhausen. Ebersbach. Ebertshausen. Eydhausen. Forst. Gedheim. Geldersheim. Grossenwenkheim. Happertshausen. Hausen. Hesselbach. Heustreu. Hollstadt. Kissingen. Kronungen. Marcksteinach. Maybach. Mechenried. Münnerstadt. Neustadt. Nüdlingen. Niederlauer. Obertheres. Pfersdorf. Poppenlauer. Rannungen. Rödelmeyer. Saal. Salz. Schonungen. Stadt Lauringen. Steinach. Stralsbach. Unsleben. Untertheres. Waldaschach. Waldfenster. Wermerichshausen. Wollbach. Wülfershausen.

XIV. Neckarsulm Capitulum. Parochiæ 22. Affeltrach. Allfeld. Binswangen. Dahenfeld. Degmarn. Duttenberg. Erlenbach. Gundelsheim. Heilbronn. Herbolsheim. Höchstberg. Kocherthüren. Neckarsulm. Neudenau. Obergrieſsheim. Œden. Offenau. Sondheim. Stein. Untergrieſsheim. Wimmenthal.

XV. Ochsenfurt Capitulum. Parochiæ 38. Acholshausen. Allersheim. Aub. Aufstetten. Baltersheim. Bernsfelden. Bütthard. Darstadt. Erlach. Efsfeld. Euerhausen. Frickenhausen. Gaubüttelbrunn. Gaukönigshofen. Gaurettersheim. Gelchsheim. Goſsmannsdorf. Heydingsfeld. Höchberg. Hopferstadt. Ingolstadt. Kirchheim. Klein Ochsenfurt. Kleinrinderfeld. Markbreit. Ochsenfurt. Œllingen. Riedenheim. Rittershausen. Röttingen. Rottenbauer. Sonderhofen. Stalldorf. Strüth. Sulzdorf. Unterwittighausen. Wolkshausen. Zeubelried.

XVI. Schlusselfeld Capitulum. Parochiæ 21. Aſsbach. Breitenlohe. Büchenbach. Burgebrach. Burgwindheim. Craitzsambach. Ezelskirchen. Geisselwind. Gremsdorf. Hannberg. Herzogaurach. Höchstadt. Liſsberg. Markbibart. Markscheinfeld. Oberscheinfeld. Schlüsselfeld. Schönbrunn. Wachenroth. Weissendorf. Willmersdorf.

Sunt præterea Wirceburgi ſeparatæ parochiæ, in ecclesia cathedrali, in Haugis, ad S. Petrum, ad S. Gertrudem in Pleichach, ad S. Burchardum, in arce S. Mariæ, et ad valetudinarium militare, et duo ſeminaria ad S. Kilianum, et ad Pastorem bonum.

Accedunt ultimo 29. parochiæ Augustanæ confessionis ab episcopo Herbipolensi dependentes: Alberhofen. Berckach. Buchbrunn et Repperndorf. Eichelsdorf. Gemünden. Geroda et Volkersleyer. Gochsheim. Gülchs- et Hemmersheim. Hengstfeld. Hohenfeld. Hüttenheim. Kitzingen. Krautostheim. Herbosheim et Ingolstadt. Lenzenbronn. Lipperichshausen et Pfallenheim. Maynstockheim. Memmelsdorf. Mittelsinn. Neukirchen. Neusses et Schernau. Poppenlauer et Rothausen. Rödelsee. Schmalfelden. Sennfeld. Thalheim. Untermerzbach. Widdern. Wildenthierbach. Quæ ut cum aliis ad pristinum ſuum ovile denuo redeant, faxit ſupremus unici ovilis Pastor.

PARS I.